



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistolae Alexandri Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

clesiæ populus obedientiæ iam dictæ ecclesiæ presbytero, illi videlicet sancti Petri exhiberi contradicit, diuina prohibuerunt officia celebrari. Quia igitur sustinere non possumus nec debemus, vt ecclesiæ sancti Petri Ad vincula suo iure debeat defraudari, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus prædictum populum districte commoneatis, vt a contradictione illa penitus de cetero cesset, & quod ecclesiæ sancti Petri habet in ceteris suis capellis, in ista ei subtrahere non præsumat. Et nisi ab huiusmodi leuitate cessauerit, interdictum volumus relaxari, vt in prædicta ecclesiæ sanctæ Mariæ officia diuina liceat celebrari. Alioquin pœnam, quam in officiis patiuntur, eos decernimus sustinere. Datum Beneuenti xv. Kalendas Aprilis.

VITA ET EPISTOLÆ  
ALEXANDRI PAPÆ III.

Alexander  
III. quis,  
qualis &  
quando pa-  
pa factus.

ALEXANDER tertius, Rolandus antea nominatus, patria Senensis, legatione ad Fridericum imperatorem ob non vindicatam iniuriam Londinensi episcopo illatam functus, ex cardinale presbytero tituli sancti Marci a viginti tribus cardinalibus (quorum nomina recensentur in epistola ad Fridericum imperatorem, quam recitat Radeuicus lib. 2. cap. 53.) electus est pontifex anno Domini 1159. tempore Friderici imperatoris. Contra eum in schismate a tribus dumtaxat cardinalibus electus est Octavianus quidam, natione Romanus, cardinalis presbyter, Victor tertius deinceps appellatus. Imperator, qui tunc Cremonam obsidione premebat, ab vtraque parte per literas, quæ recitantur apud Radeuicum lib. 2. hac de re certior factus, vtrumque Papiam venire iussit, eorum dissidia componenda ibidem promittens. Cui ordinationi cum Alexander parere nollet, indignatus Fridericus, in partes Victoris factus est inclinatus. Alexander autem tali accepto responso in Franciam abiit, vbi Concilio in Claramonte habito Fridericum & Victorem excommunicauit. Interim Fridericus Mediolanum tertio expugnatum di-

Victor An-  
tipapa a  
schimati-  
cis contra  
eum eligi-  
tur.

Victori im-  
perator  
pontificatū  
adiudicat.

ASS  
CRA  
219.

ruit & solo æquauit, tria Magorum corpora Reinoldo Coloniensi archiepiscopo donauit: & qui eadem Coloniã transtulit, vt videre est in epistola eiusdem ex antiquissimo manuscripto codice Sigeburgensis monasterii accepta, quam hic subiungo:

*Reinoldus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ electus, & Italia archicancellarius, dilectissimis in Christo filiis & amicis, H. maioris ecclesiæ Coloniensis præposito, Philippo decano, cunctisque prioribus, & vniuerso clero, omnibusque in beneficiatis & ministerialibus beati Petri ac sanctæ Coloniensis ecclesiæ, vniuersisque Burgensibus almæ urbis Coloniæ, salutem & affectuosum obsequium, cum intimæ dilectionis plenitudine.*

**I**NSINNAMVS dilectissimæ vestræ vniuersitati quod ex....  
ardentissimi nostri desiderii felix iam per Dei gratiam adepti sumus initium. Benigna enim domini nostri serenissimi imperatoris Friderici accepta licentia, cum gratia ac dilectionis eius plenitudine ab ipso gaudenter dimissi, & egregiis ac tantis donis, quorum nulla in terrenis esse potest æstimatio, excellenter sumus honorati: inter cetera enim liberalitatis suæ beneficia, quæ in nos affluentissime contulit, nunc tria nobis munera donauit preciosissima; videlicet corpora insignia beatissimorum trium Magorum ac Regum, qui primitiæ gentium, in typum ac præfagium futuræ ex gentibus ecclesiæ, iacenti adhuc Christo in præsepi munera preciosa obtulerunt, quorum videlicet nobilissima corpora, omnique veneratione dignissima, Mediolani in ecclesia beati Eustorgii confessoris atque pontificis solenniter ac gloriose fuere recondita. Insuper etiam Deo præduce ad vos perferimus corpora sanctissimorum martyrum Naboris & Felicis, vt inæstimabili & incomparabili hoc thesauro super aurum omnemque lapidem preciosum diligenda sacratissima ecclesia ciuitasque Coloniensis felicissime ditetur ac perpetualiter coretur. Nos siquidem, quia suspecta est nobis via per inimicos vestros ac nostros, iter nostrum per Burgundiam ac Gallias vsque ad vos disposuimus, præsentemque nuntium a Vercellensi ciuitate II. Idus Iunii præmisimus ea die versus Taurinum & versus Alpes montis Cinisii, cum prædi-

etis sacratissimis ac venerabilibus reliquiis celerrime procedentes: ideoque sincerissimam vestram dilectionem intime rogamus & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum susceptionem ea qua notis, & qua de vobis confidimus deuotione ac solennitate præparemini: Dominum Deum quoque affectuosissime pro nobis sine intermissione deprecemur, vt vna cum ipsis ad honorem ac gloriam nominis sui, & ad perpetuam omnium vestrum ac totiùs patriæ salutem saluos, incolumes & illæsos nos vobis dignetur remittere.

Eadem confirmantur ex quodam instrumento donationis per Philippum archiepiscopum Reinoldi successorum capitulo factæ, quod ex archiuo metropolis ecclesiæ Colonienfis fideliter per me descriptum hic subiungo:

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Philippus \* . . . .  
Colonienfis archiepiscopus sanctæ ecclesiæ filiis præ-  
sentibus & futuris in perpetuum.*

**E**A quæ propter salutem animarum deuotarum sancte in ecclesias conferuntur, quanto maiorem a Deo expectant remunerationem, tanto magis est dignum vt iustæ confirmationis firmum robur accipiant. Ex relatu plurium intelleximus, quod noster antecessor piæ recordationis Reinoldus archiepiscopus, eleemosynas, quæ ad sancta Regum corpora offeruntur, sicut & ipsos Reges maiori ecclesiæ in Colonia contulerit, laudabili consideratione motus, vt vbi sanctissimi Reges corporaliter quiescerent, & in maiori haberentur veneratione, ibi de oblationibus eorum iusta & benigna consolatio ad canonicos perueniret: nos factum prænominati archiepiscopi commendamus, & habemus ratum, & qua possumus & debemus confirmamus auctoritate. Ne vero in posterum hoc quod iuste factum est mutari queat; id ipsum, quod nos videbatur habere in oblationibus Regum, coram multis super altare beati Petri ecclesiæ maiori dedimus: fratribus eiusdem concedentes liberam potestatem ordinandi de ipsis eleemosynis ad supplementum præbendarum suarum, prout poterimus diligentius & melius. Post solennem donationem a nobis factam, sicut iustum fuit, factum nostrum banno confirmamus; vt si quis in posterum ausu te-

merario in contrarium moueretur, banno se sciret obligatum esse, & subiectum maledicto excommunicationis. Iussimus etiam hanc chartam conscribi, & nostro muniri sigillo, vt ex scripti inspectione, ea quæ iuste sunt facta, & fideliter expressa, ad posterorum notitiam transmittenterentur.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MC LXXXIX. Testes istorum sunt isti . . . . maior præpositus & archidiaconus. Brnoo. Adolphus decanus maior & archidiaconus, &c.

Franciæ regem monuit imperator vt ad Concilium per se indictum venire dignaretur, secumque Alexandrum adduceret. Quod cum Alexander iterum facere recusaret, Fridericum magis ac magis ira inflammatum in se commouit. Proinde Victorem in Italiam mox subsequutus præmittit, eoque Lucæ defuncto, Guidonem Crementensem antipapam successorem substituit. Alexander omnium consensu Romam vocatus, ab omnibus summa cum lætitia recipitur. Eodem tempore cisalpina Gallia populi in imperatorem arma corripunt: qui proinde in Italiam denuo reuertitur. Dumque hæc agerentur, Constantinopolitanus imperator omnem opem & auxilia per legatos obtulit pontifici, si imperium annis superioribus diuisum vicissim vnire dignaretur. In Anglia pro immunitate ecclesiæ martyrii coronam subiit Thomas Cantuariensis episcopus. Regem Angliæ de occiso martyre innocente diffamatum legati Angliæ pontificem conuenientes a nece sancti martyris immunem esse allegarunt. Post multam inquisitionem ad extremum his conditionibus regem absoluit, vt is a pontifice & successoribus eius titulum regni agnosceret. Sanctum vero Thomam, euidentissimis miraculis clarissimum, in numerum sanctorum retulit. Cumque pontifex in dies grauius ab imperatore vexaretur & inquietaretur, Venetias se contulit, ibique imperatorem, ad oscula pedum pontificiorum se demittentem, nullius arrogantioris dicti factique asperioris interuentu, citra capitis imperatorii pedibus protriti conculcationem, (quam humillimo pontifici iniuriose affingunt hæretici) in gratiam, pacem & vnionem ecclesiæ recepit. Eum honorem quem Constantinus Magnus ille imperator longe potentior & sanctior Siluestro Christi vicario

exhibuit, quemque alii Francorum & Anglorum reges huic aliisve pontificibus detulerunt; nimirum ut pontifici ab officio stratoris essent, Fridericus imperator merito pontifici optimo exhibuit: adeoque non immerito pontifex eundem exemplo antecessorum suorum acceptauit. Ut vero caput imperatoris ad pedes suos dimissi obtruerit, simulque dixerit, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* sicut ab humilitate pontificis, ita ab omni fide plane est alienum, ut ex iis, quæ infra in Concilio Venetico dicam, planum fiet. Post pacem initam, Venetiasque multis priuilegiis donatas, pontifex Romam veniens magno omnium gaudio susceptus fuit. Cumque œcumenicum Lateranense Concilium pro schismatibus extirpandis, Saracenis impugnandis, moribusque ecclesiæ reformandis, celebrasset, obiit anno Domini 1185. cum sedi apostolicæ annis viginti & vno atque diebus nouemdecim præfuisset.

Psal. 90.

Obitus A-  
lexandri  
papæ.

## EPISTOLA I.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GERARDVM EPISCOPVM ET CANONICOS  
BONONIENSES.

De legitima sui electione.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Gerardo episcopo, & dilectis filiis canonicis Bononiensis ecclesiæ, & legis doctoribus, ceterisque magistris Bononiæ commorantibus, salutem & apostolicam benedictionem.*

**Æ**TERNA & incommutabilis prouidentia Conditoris sanctam & immaculatam ecclesiam a suæ fundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, ut vnus ei pastor & institutor existeret, cui vniuersi ecclesiarum prælati absque repugnantia subiacerent, & membra tamquam suo capiti cohærentia ei se mirabili quadam vnitatem coniungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, ille procul dubio ecclesiam suam, cuius ipsi apostoli magisterium assumpserunt, sua promif-

Math. 28.

sione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar nauiculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Vnde & quamuis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanæ, inconfutilem Christi tunicam, quam utique ipse quidem ex persona Psalmographi a leonibus petit & a framea erui, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent: Christus tamen auctor & caput ecclesiæ, eam velut vnicam sponsam suam prouida gubernatione tuetur, & nauem egregii piscatoris, licet sæpius quatiatur a fluctibus, non permittit naufragium sustinere. Porro cum antecessor noster bonæ memoriæ Hadrianus papa Kalendis Septembris Anagninæ debitum naturæ soluisset, & de terris ad cælum, de imis migrasset Domino vocante ad superna, eo Romam adducto, & 11. Nonas Septembris in ecclesia beati Petri, præsentibus fere omnibus fratribus, satis honeste (sicut moris est) tumultuato, cœperunt fratres & nos cum eis secundum ecclesiæ consuetudinem de substituendo pontifice in eadem ecclesia studiosius cogitare, & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minime congruentem, omnes, quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano scilicet; Ioanne de sancto Martino, & Guidone Cremensi, Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, concorditer atque vnanimiter conuenerunt, & non assentiente clero ac populo in Romanum pontificem elegerunt. Duo vero Ioannes & Guido, quos prænotauimus, tertium Octauianum nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Vnde & ipse Octauianus in tantam audaciam insaniamque prorupit, quod mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, iuxta morem ecclesiæ, Odo prior diaconorum induerat, tamquam arreptitius a collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportauit. Ceterum cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, vnus ex eis spiritu diuino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sæuientis. Ipse vero ad

quemdam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, & ut mantum, quem fraudulenter secum portauerat, festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octavianus abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus eiusdem capellani & cuiusdam clerici sui ambitiosus assumpsit; & ipse idem, quia non erat alius, in hoc opere capellano & clerico, extitit coadiutor. Verum ex diuino credimus iudicio contigisse, quod ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus, posteriora tegebat. Et cum ipse idem hoc emendare studiosius voluisset, quia capitium manti extra se raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quodammodo videretur. Sicque factum est, ut sicut torta mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex transuerso & obliquo mantum fuerit in testimonium suæ damnationis indutus. Quo facto portæ ecclesiæ, quæ firmatæ fuerant, referantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, euaginatæ gladiis, cum immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa mortifera, quia cardinales episcopos non habebat, armatorum caterua militum vallabatur. Fratres vero facinus tam immensum & a sæculis non auditum ex insperato videntes & formidantes, ne a conductitiis militibus trucidarentur, sese in munitionem ecclesiæ nobiscum pariter receperunt. Ibique nouem diebus continuis, ne exinde libere exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane populo incessanter & iugiter acclamante, & in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius munitionis erepti, sed in arctiori & tutiori loco apud Transiberim nos iidem senatores recepta inde pecunia posuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum fecissemus, vniuerso populo tantam proditionem atque malitiam de cetero nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus & populo venientes, nos & fratres nostros per urbem magnifice & honorifice cum immensis laudibus &

præco-



præconiis, campanis etiam in transitu nostro pulsantibus, conduxerunt. Et sic tandem a violentia persequentis erepti, & nostræ redditi libertati, sequenti die dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Ostiensi, Bernardo, Vualthero, Julio, episcopis, cardinalibus quoque, abbatibus, prioribus, iudicibus, advocatis, scriniariis, primicerio, & schola cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo Urbis, apud Nunpham non longe ab Vrbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus; & sicut in Romana ecclesia moris est, ibidem pontificali regno magnifice fuimus ac sollemniter coronati. Ceterum prædictus Octavianus cum pro consecratione, imo execratione sua, dum & in Vrbe esset, & postquam latenter Urbem exiuit, multos episcopos conuocasset, nullum profus, præter vnum Ferentinatem videlicet, episcopum habere potuit pro sua temeritate & vesania confirmanda. Quosdam tamen episcopos imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam vero pecuniis & blanditiis allicere voluit, sed nihil, Domino impediente, profecit. Vnde nec adhuc inuenire potest, licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumptionis & impietatis auctorem. Verum memorati Ioannes & Guido, cæcitatibus tenebris obuoluti, quoniam scriptum est, *Peccator cum venerit* Prou. 18. *in profundum malorum, contemnet*, nec sic a sua præsumptione damnabili resipiscunt, sed eundem Octavianum, quem sibi in statuas erexerunt, obstinata perfidia venerantur: & eum relicta vnitatis ecclesiæ præsumunt vsque adhuc tamquam idolum aut simulacrum adorare. Ipse autem antichristi tempora præfigurans, vsque adeo erectus est supra se, vt etiam in templo Dei sederit, ostendens se tamquam sit Deus, & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sine multa lacrymarum effusione, corporeis oculis inspexerunt. Sane nos infirmitatem nostram, & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Dominum iactamus cogitatum, sperantes, & de Christi misericordia plenius confidentes, quod ecclesiam sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, vt eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in tranquillitate lætari, & procel-

*Concil. Tom. 27.*

Hh

larum omnium inundatione sedata, nihil erit quod iam ei possit obfistere, vbi vnicus eius sponsus voluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate & religione vestra plenam habemus fiduciam, vestris & vniuersalis ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adiuuari: caritatem vestram per apostolica scripta rogantes & commonentes attentius, vt sicut viri catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in deuotione ac fidelitate matris vestræ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ immobiliter persistentes, ab eius vnitatem nullatenus recedatis quod si præfatus vir impietatis: ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmissit, ea sicut respuenda sunt respuatis, & tamquam vana ac sacrilega contemnere & abiicere studeatis. Nouerit insuper discretio vestra, quod nos supra nominatum Octavianum, apostaticum & schismaticum, in octauo die a consecratione nostra, tunc enim terminum ei respiciendi, & ad vnitatem matris ecclesiæ redeundi præfiximus, tamquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præsumerent, non dicimus consecrationis, sed execrationis imponere, de communi fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis, & coetu clericorum in ecclesia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo condemnauimus.

## EPISTOLA II.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ARNVLPHVM LEXOVIENSEM  
EPISCOPVM.

De rebus in Conciliabulo Papiensi gestis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei, &c.*

**L**ITERAS a tua nobis prudentia destinatas tanto hilariori mente, &c. *Extat infra in actis Conciliabuli Papiensis, anno 1160.*

EPISTOLA III.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CLERVM ANGLIÆ.

De canonizatione sancti Eduardi regis Angliæ.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, & aliis ecclesiarum prælatis per Angliam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**LLIUS deuotionis constantiam & fidei firmitatem, quam circa matrem vestram sacrosanctam Romanam ecclesiam exhibetis, diligentius attendentes, in id propositum voluntatis adducimur, vt vos sicut carissimos fratres & speciales ecclesiæ filios sincera caritate in Domino diligamus, propensius honoremus, & postulationes vestras, quantum cum Deo possumus, libenti animo admittamus. Inde vtique fuit, quod super petitione, quam de Eduardo glorioso quondam rege Anglorum canonizando, & in sanctorum catalogo adscribendo, tam carissimus in Christo filius noster Henricus illustris Anglorum rex, quam vos ipsi nobis instantius porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ dum in carne mortali viueret, & postquam de præsentis sæculo est assumptus, omnipotens Dominus per suam misericordiam declarauit: visis etiam literis antecessoris nostri piæ memoriæ Innocentii papæ, vestris quoque testimoniis inde receptis: quamuis negotium arduum & sublime non frequenter soleat nisi in solennibus Conciliis de more concedi; de communi tamen fratrum nostrorum consilio, iuxta votum & desiderium prædicti filii nostris regis ac vestrum, corpus ipsius confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconiis adorandum in terris, sicut eundem confessorem Dominus per suam gratiam glorificauit in cælis. Vnde videlicet inter sanctos confessores de cetero numeretur, quod hoc ipsum apud Deum signis meruit ac virtutibus obtinere. Quia igitur decet honestatis vestræ prudentiam eum pie colere, & toto studio venerari, quem auctoritate aposto-

*Concil. Tom. 27.*

Hh ij

lica venerandum vestra postulauit deuotio, & colendum; vniuersitatem vestram per apostolica scripta monemus & exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, vt ipsius intercessionibus apud districtum iudicem mereamini veniam obtinere, & gloriosum in æterna beatitudine præmium inuenire. Datum Anagninæ septimo Idus Februarii.

## EPISTOLA IV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

Iura & priuilegia eius confirmat.

*Alexander papa Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.*

**P**RÆDECESSORVM nostrorum felicitæ memoriæ Paschalis & Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inherentes, tam tibi, quam tuis legitimis successoribus, Cantuariensis ecclesiæ primatum ita plene concedimus, sicut a Lanfranco & Anselmo aliisque ipsorum prædecessoribus constat fuisse possessum. Quidquid etiam dignitatis siue potestatis eidem sanctæ Cantuariensi ecclesiæ pertinere dignoscitur, præsentis scripti pagina confirmamus, sicut a temporibus beati Augustini prædecessores tuos habuisse apostolicæ sedis auctoritate constat.

## EPISTOLA V.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

Contra regis persecutionem inchoatam illum confirmat; & simul admonet, ne quid contrarium libertati ecclesiasticæ regi indulgeat.

*Alexander papa Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.*

**L**ITERAS, quas nobis tua fraternitas destinauit, & ea quæ nuntius tuus viua voce proposuit, attenta diligentia audiuius, & graues anxietates & amaritudines, quibus animus tuus assidue affigitur, plenius attendimus. Vnde his auditis & cognitis, spiritus noster commotus est,

& valde turbatus; quibus cordi est libenter in tuis prosperitatibus delectari, & in aduersis, tamquam fratri carissimo, plurimum condolere. Tu ergo, sicut vir constans & prudens, recolens sæpe quod dicitur, *Ibant apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, huiusmodi angustias in patientia tolere, & non plusquam oporteat tuus spiritus anxietur; sed dignam in teipso consolationem recipias, vt & nos tecum pariter in eo consolemur, qui te ad corroborationem catholicæ & Christianæ veritatis hoc necessitatis articulo referuauit, & cuius beneplacitum est eorum quæ minus licite commisisti maculas abstergere, & per varias afflictiones punire, ne videantur in districto examine punienda referuari. De cetero non tibi graue sit, nec (sicut ex literis, quas clerico tuo misisti, accepimus) vlla ratione meticulosum, quod es ad sedem apostolicam appellatus: quia gratum nobis est, & acceptum, & volumus, vt si illi qui te appellauerunt forte venerint: tu per teipsum, si tibi visum fuerit, appellationem ipsam, omni dubietate & dilatione postposita, prosequaris: nec vnquam auctoritate Romanæ ecclesiæ aliquis possit constantiæ tuæ timorem incutere, seu dubietatem; quia nos iura & dignitates ecclesiæ tibi commissæ, quantum salua iustitia & ratione poterimus, studiosius tibi curabimus, auctore Deo, conferuare, sicut illi quem in facto ecclesiæ constantem reperimus & fortissimum propugnatorem.

Ad hæc fraternitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus te in Cantuariensem ecclesiam recipias, & paucis quidem retentis admodum necessariis, ad minus quam poteris per terram illam discurras. Illud autem specialiter suggerimus tuæ prouidentia, vt nullius timoris vel aduersitatis obtentu, quæ tibi possit accidere, iuri & dignitati ecclesiæ tuæ abrenuntiare cogaris. Data Senonis septimo Kalendas Nouembris.

EPISTOLA  
THOMÆ ARCHIEPISCOPI  
CANTVARIENSIS  
AD ALEXANDRVM PAPAM.

*Respondet superiori.*

**L**ITERÆ consolationis, quas vestra nobis dignata est paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxio afferre possent remedium, aut si saltem nostra circa vnum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respicendi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia inualefcit, multiplicantur iniuriæ non nostræ, sed Christi, imo quia Christi, eo magis nostræ, succedentibus sibi inuicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium; nec aliud consilium superesse, nisi vt Christum quasi dormientem in naui pro viribus nostris excitantes, dicamus: *Domine, salua nos, perimus.* Et hoc sane aptiorem malignandi naçta est iniquitas occasione, quod statum sanctæ Romanæ ecclesiæ infirmiorē conspicit. Vt vere liqueat quod quidquid in caput siue bonum, siue malum, siue dulce, siue amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam: eripitur Iesu Christo quod sanguine suo comparauit, in ipsam eius sortem potestas sæcularis manum extendit, adeo vt nec sanctorum patrum sanctiones, nec statuta Canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac iurisdictione speciali priuilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel persequi scripto quæ patimur longum esset & tædiosum, ad vestram mittimus paternitatem magistrum Henricum fidelem & familiarem vestrum & nostrum, in cuius ore posuimus singula seriatim, prout vidit, & audiuit, vobis exponenda. Et si placet, credite, tamquam si nos loquentes audiretis viua voce. Hoc tamen sciatis, quoniam si fieri posset, multo libentius vos in persona visitarem nostra quam in alia. Loquimur vobis sicut patri & domino, & quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia fere referantur ad regem quæ nobis

*Math. 3.*

in conclau vel in aure dicuntur. Væ nobis qui in hæc seruari sumus tempora, quorum diebus accefferunt hæc mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate, quam modo dura & pessima seruitute recompenſamus. Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quo, nisi ad eum qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Vvallenſibus & Oeno, qui se principem nominat, domine prouideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est, & indignatur. Carissime pater & domine, bene valete.

## EPISTOLA VI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ET RELIQUOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

*Eos monet ne quid regi indulgeant contra libertatem  
ecclesiasticam.*

**A**D hoc pontificalis officii onus suscepisse noscimini, ut commissas vobis ecclesias sic ad honorem Dei, & subditorum profectum atque salutem regatis, quod earundem ecclesiarum libertas per vos nullatenus minuat, sed in suo statu per studium vestrum & per operam conseruetur. Inde siquidem est, quod fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, si illustris Anglorum rex quidquam a vobis aliquo tempore requisierit, quod contra ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos illi in aliquo, & maxime contra Romanam ecclesiam, obligetis; aut nouæ promissionis seu iuramenti formam inducere præsumatis, præter id quod episcopi suis regibus facere consueuerunt. Si autem iam dicto regi super huiusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenus obseruetis, sed hoc potius reuocare curetis; & de promissione illicita Deo studeatis & ecclesiæ reconciliari.

## EPISTOLA VII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

Eum a iuramento de consuetudinibus Anglicanis, de quibus infra in Clarendonenſi Concilio, immunitati eccleſiaſticae repugnantibus obſeruandis abſoluit.

*Alexander episcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c.*

**A**D aures noſtras fraternitas tua nouerit eſſe perlatum, &c. *Extat in actis Clarendonenſis Concilii anno 1164.*

## EPISTOLA VIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

De munere legationis apoſtolicæ Cantuarienſi concedi ſolito, Eboracenſi episcopo ad instantiam regis ſine præiudicio Cantuarienſis conceſſo.

*Alexander ſeruus ſeruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuarienſi archiepiscopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

**E**TSI pro animi tui prudentia & fidei ſinceritate perſonam tuam vberiori dulcedine caritatis & flagrantiori deſiderio velimus ſemper diligere, & honori & exaltationi tuæ ſicut cariffimi fratris noſtri ardentiori animo aſpirare, nos tamen & teipſum, qui magna columna es eccleſiæ, cautiſſime conuenit temporum qualitatem attendere, & prouida diſpenſationis moderatione motum principis delinire. Nouit ſiquidem induſtria tua, cui diuina diſpenſatio magnæ prudentiæ & gratiæ donum indulſit, quoniam \* feruentem diſpoſitionem circa regni ſui gubernationem cariffimus in Chriſto filius noſter Henricus illuſtris rex Anglorum defendat, & eandem velit diſpoſitionem, vt firmior habeatur, & habeat maiorem fauorem, auctoritate Romanæ eccleſiæ roborari. Vnde cum olim per venerabilem



rabilem fratrem Lexouienſem epiſcopum, & dilectum filium noſtrum Piſtauenſem archidiaconum, a nobis & fratribus noſtris inſtantius poſtulaffet legationem totius Angliæ Eboracenſi archiepiſcopo indulgeri, & tam tibi quam vniuerſis epiſcopis mandari rogaffet, vt antiquas regni ſui conſuetudines & dignitates conſeruaretis: nobis eius petitiones præter ſuum arbitrium moderantibus, ſtatim poſt reditum nuntiorum ſuorum, vix audito quod a nobis reportauerant, dilectos filios noſtros Gauſredum archidiaconum ſuum, & magiſtrum Ioannem, ad noſtram præſentiam deſtinauit, & per eos quod prius petierat, & amariora, a nobis inſtantiffime poſtulauit. Et vt ſuo deſiderio faciliorem animum præberemus, fraternitatis tuæ, prædicti epiſcopi Eboracenſis ad nos literas impetrauit.

Quod enim de antiquis conſuetudinibus & dignitatibus conſeruandis prius mandari rogauerat, nuper, ſicut tu & alii obſeruare promiſeratis, ea cum multa inſtantia petiit auctoritate apoſtolice ſedis ſibi & ſuis poſteris confirmari. Sed nos petitionem iſtam nequaquam admiſimus: verumtamen, ne ad nimiam amaritudinem & vehementiorem animi turbationem eum circa nos & teipſum pro-uocaremus, ne etiam id conſideratione tui putaretur quomodolibet impediri, nos tibi & nobis (ne forte in maiorem calorem iracundiæ aduerſus te exardeſceret) conſultius prouidere volentes, & penſantes tempora periculofa, legationis literas præfato archiepiſcopo concedendas eidem regi conceſſimus. Quoniam vero votis principum condeſcendendum eſt, & ſuæ contemperandum voluntati, prudentiam tuam monemus, conſulimus, & omnimodis exhortamur, quatenus ſicut vir prouidus & diſcretus neceſſitatem temporis metiens, & quæ inde tibi & eccleſiæ tuæ poſſint prouenire peruerſa, fideli meditatione attendens, prænominato regi in omnibus & per omnia, ſalua honeſtate eccleſiaſtici ordinis, deferre fatagas, & eius tibi gratiam & amorem inceſſanter recuperare intendas: ne ſecus faciendo eum contra te & noſmetipſos conturbes, & ii, qui non eodem ſpiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc inſultare. Nos enim, data nobis opportunitate, de honore & augmento tuo cum eodem rege diligenter ac ſolicite conferemus; & circa conſeruanda & iura &

*Concil. Tom. 27.*

I i

dignitates ecclesiæ tuæ, necessariam diligentiam adhibebimus & cautelam, quam conuenit adhibere. Datum Senonis III. Nonas Martii.

EPISTOLA IX.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD EVMDEM.

Eum angustiis pressum consolatur.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VONIAM dies mali sunt, & multa sunt pro qualitate temporis toleranda, discretionem tuam rogamus, monemus, consulimus, & suademus, vt in omnibus tuis & ecclesiæ agendis te cautum, prouidum & circumspectum exhibeas, & nihil propere vel præcipitanter, sed mature & grauitè, facias, ad gratiam & beneuolentiam illustris regis Anglorum recuperandam, quantum salua libertate ecclesiæ & honestate officii tui fieri poterit, & enitaris modis omnibus & labores, vt vsque ad proximum pascha eundem regem sustineas; ita quod nihil in eum vel terram ipsius vsque ad præscriptum tempus studeas exercere. Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, & tam tu quam nos tutius poterimus in facto ipso procedere.

EPISTOLA X.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

De immunitate ecclesiastica non violanda: & clericis ad tribunal sæculare non trahendis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**TSI circa nos & matrem tuam ecclesiam sacrosanctam filialis in te deuotio aliquatenus videatur tepuisse, paternum tamen affectum circa te vel regnum tuæ gubernationi commissum nullo tempore deseruimus. Tua ergo serenitas, quod amici verbera potiora, quam inimici oscula existant, diligenter aduertens, consideret studiosius

& attendat, quod sicut clerici a viris sæcularibus vita & habitu distinguuntur: ita & iudicia clericorum a laicorum  
 \*penitus iudiciis diuersa \* potius comprobantur. Quare si eo ordine, quem non decet peruertas, & quæ Iesu Christi sunt tuæ potestati vsurpans nouas leges ad ecclesiarum oppres-  
 sionem & Christi pauperum pro tuo beneplacito condas, consuetudines etiam, quas auitas vocas, inducas: tuipe procul dubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo consimili iudicaberis, & eadem mensura, qua mensus fueris, remetietur tibi. Verum ne commonitiones nostræ auribus excellentiæ tuæ tardiosæ vel asperæ videantur, scriptum recollige, *Quod filium, quem pater diligit, corripit*; pro certo cognoscens, quod quanto personam tuam ardentiori caritate in Domino diligimus, & sincerissimæ tuæ deuotionis insignia nobis & ecclesiæ Dei multipliciter & magnifice olim exhibita ad memoriam sæpius & studiosius reuocamus; tanto hæc cognitioni tuæ spiritualem tibi & æternam salutem votiuis cordis affectibus exoptantes libentius intimamus.

Si enim te in aliquo iudicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat, veritatem, quæ Deus est, & iustitiam colere, ius suum vnicuique tribuere, negotia ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei, vel iuramenti emergunt, causas super rebus, possessionibus ecclesiarum, personis ecclesiasticis tractanda relinquere, regnum & sacerdotium non confundere, non adeo serenitatem tuam deceret, quam etiam expediret. Si autem vniuersa, quæ in vsus tuos per huiusmodi angarias de bonis ecclesiasticis conuertuntur, in refectioem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si altari quolibet discooperto aliud cooperires; aut si Petrum crucifigeres, vt Paulum a mortis periculo liberares. Recolere siquidem debes, & præ oculis ad huius rei exemplum habere, qualiter rex Saul, quia deuictio Amalec, prædam contra diuinum præceptum referuare volebat, cum se ad excusationem sui, hæc ad sacrificandum referuare proponeret, a Domino fuerit reprobatus, & alius, eo viuo, in honorem & dignitatem regiam subrogatus. Quem vtique peccata populi regem effecerant; eum a gubernatione re-

*Concil. Tom. 27.*

Ii ij

gni propria commissa destituerunt. Quomodo etiam rex  
1. Par. 16. Ozias, dum thurificare voluit, & sacerdotis sibi officium  
 vsurpare, lepra, digna Dei ultione, percussus fuisset, tua  
 saluti congruit ad animum reuocare.

Si vero successus tuos viribus & potestati tuæ, & non  
 Deo adscribas, intentionem quoque & animum tuum ab  
 ecclesiasticorum virorum & ecclesiarum oppressione non  
 retrahas: ille procul dubio, quia aliis te præfecit, & ma-  
 gnum in orbe principem ad fidelium suorum gubernatio-  
 nem, non ad depressionē constituit, talenta tibi commissa  
3. Reg. 14. graui a te cum vsura requirere. Et sicut de Roboam filio  
 Salomonis legitur, qui pro delicto patris est a regno eie-  
 ctus; commissum paternum in heredes transfundet. Tu  
 ergo prauis cuiuslibet suggestionibus non acquiescas, nec  
 iis qui semper mala susurrant aurem inclines, sed qua  
 tuam salutem expediant diligenter audias, & ita ad ho-  
 norem Dei & ecclesiæ suæ tranquillitatem & pacem, ad  
 quod solummodo es regni gubernationem adeptus, idem  
 regere, & secundum quod Dominus tibi administrauit,  
 studeas vtiliter gubernare; vt ille, per quem reges regnant,  
 & cui seruire regnare est, tibi & heredibus tuis regnum  
 temporale conseruet, & post illud tribuat sine fine man-  
 furum.

## EPISTOLA XI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
 CANTVARIENSEM.

Significat eum non teneri damnatione Conciliabuli apud  
 Northamptonam celebrati.

*Alexander papa Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.*

**Q**UOD minor maiorem iudicare non possit, &c. *Extat  
 infra in actis dicti Conciliabuli anno 1164.*

EPISTOLA XII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD GILBERTVM EPISCOPVM  
LONDONIENSEM.

Mandat illi vt pergat Henricum Angliæ regem monere ad deuotionem Romanæ ecclesiæ exhibendam, eiusque iura tuendum, & Thomam Cantuariensem in fauorem & gratiam recipiendum.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri  
Gilberto Londoniensi episcopo salutem & aposto-  
licam benedictionem.*

QVOD circa ea, quæ tuæ iniunximus fraternitati, effi-  
cax studium & diligentiam impendisti, & carissimum  
in Christo filium nostrum Henricum illustrem regem An-  
gliæ, super incremento & exaltatione ecclesiæ, ac nostra,  
fideliter sollicitare ac commonere curasti, gratum omni-  
modis & acceptum habemus, & tibi exinde gratias vber-  
rimas exoluentes, sollicitudinis tuæ prudentiam magnifi-  
cis super hoc laudibus in Domino commendamus. Quo-  
niam vero eundem regem tamquam filium carissimum,  
& inclytum principem arctiori caritate diligimus, idcirco  
per te, & per venerabiles fratres nostros, Rothomagen-  
sem archiepiscopum, & Heréfordensem episcopum, nec  
non per carissimam filiam nostram in Christo illustrem  
quondam Romanorum imperatricem, matrem eius, sæ-  
pe ac sæpe ipsum sollicitandum duximus, & ad ecclesiæ de-  
uotionem multimodis prouocandum. Gaudemus autem,  
& exultamus in Domino super ea deuotione eiusdem re-  
gis, quam tuis literis nobis significasti.

Ceterum, quoniam eum volumus deuotum esse ec-  
clesiæ Dei, & nobis, sicut ab ipso principio, consuevit ex-  
istere, rogamus fraternitatem tuam, monemus, atque  
mandamus, quatenus ipsum sollicitè ac diligenter sæpe &  
sæpius per te & alios commoneas, horteriis modis omni-  
bus, & inducas, vt ad eiusdem ecclesiæ honorem pariter,  
& exaltationem solito modo intendat, & causam ipsius  
sirenue foueat, & manuteneat, atque defendat: ecclesias

vero, & ecclesiasticas personas diligit, & honoret, & eorum iura conferuet. Venerabilem quoque fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum in amorem & gratiam suam reducat. Nos enim, si eam, quam incepit, beato Petro & nobis reuerentiam exhibuerit & honorem, eum feruenti affectione diligimus, & ad honorem & exaltationem ipsius, & conseruationem regni sibi commissi, modis omnibus, prout decuerit, intendemus. Malumus enim ipsum in patientia & mansuetudine vincere, quam eum aliquo modo grauare, quamdiu id poterimus sustinere. Datum in gradu Mercurii vndecimo Kalendas Septembris.

## EPISTOLA XIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

De Cantuariensi ecclesia.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri  
Gilberto Londoniensi episcopo salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**A**MEMORIA tua non credimus excidisse, qualiter carissimus in Christo filius vester Henricus illustris rex Anglorum multa a nobis olim precum instantia requisuit, vt ab Herefordensi ecclesia, cui præminebas, de te in Londoniensem ecclesiam translationem fieri pateremur. Vt autem suæ petitioni nostrum impertiremur assensum, necessitatem imminentem pariter & vtilitatem proponebat; asserens quod ciuitas illa quasi regia sedes existeret, & quia te religionis & discretionis virtute crederet præminere, consilio tuo, super his quæ salutem animarum expedirent, & ad regni augmentum pariter & conseruationem spectarent, temporaliter & spiritualiter vti volebat, & ideo magis proximum te desiderabat habere. Vnde attendentes quam vtiliter prudentia & religio tua salutem eiusdem regni & regis posset consulere, & quanta inde valeat commoditas prouenire, libenter suis precibus acquieuimus, & te concessimus in Londoniensi ecclesia promoueri. Vnde quanto benignius eius beneplacitum & voluntatem compleuimus, & tuæ pariter exalta-

tioni intendimus & honori, tanto probitas tua circa incrementum & conseruationem ecclesiæ amplius deberet eniti, & attentius circa hoc laborare, vt fructum, quem idem rex nobis proposuit, & nos speramus, exhibitione operis & ipsa rerum experientia cognoscamus. Quomodo autem rex prædictus a deuotione ecclesiæ animum auertit, & iam in multis sicut appellationibus & visitationibus vestris communicando etiam excommunicatis nominatim & schismaticis, & confœderando se eis, & in eo etiam quod venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum de regno suo exire coegit, quasi persequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter sollicitudinem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus adiuncto tibi venerabili fratri nostro R. Herefordensi episcopo, eundem regem solícite commoneas, & studiosa exhortatione inducas, vt huius proposito prorsus relicto, in eo quod excessit, sicut dignum est, satisfaciat, a prauis actibus omnino desistat, Creatorem suum puro corde diligat, matrem suam Romanam ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visitare volentibus inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediatur, & prædictum nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum ad sedem suam benignius reuocans & reducens, in beati Petri & nostra reuerentia firmus immobilisque consistat, & ad opera misericordiæ ac pietatis intendat; vt ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conseruet in terris, & sempiternum largiatur in cælis. Et nisi ista maturius correxerit, timendum sibi erit, ne & Deus ei pro his omnibus grauius irascatur, & in eum & in suos debeat grauius vindicare, & nos ipsi id non poterimus diutius in patientia sustinere. Nec ista pro nobis, quantum pro eo proponimus, cuius gloriam & honorem totis affectibus exoptamus.

Munus apostolicæ legationis ei iniungit.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ  
archiepiscopo Cantuariensi salutem & aposto-  
licam benedictionem.*

**S**ACROSANCTA Romana ecclesia digniores personas, & eas maxime, quas honestate, prudentia, & literatura, & eminentia virtutum præfulgere cognoscit, ampliori consuevit caritate amplecti, gloria & honore præuenire. Attendentes itaque deuotionis & fidei constantiam, qua pro ecclesia Dei sicut columna immobilis perstitisti, honestatis, & literaturæ, ac discretionis prudentiam, qua præminere dignosceris, nihilo minus considerantes, dignum duximus personam tuam, tantarum virtutum insignibus decoratam, quodam speciali priuilegio & singulari prærogatiua diligere & honorare, tuæque vtilitati solita benignitate prospicere, & attentiori sollicitudine prouidere. Inde est, quod nos tibi legationem totius Angliæ, excepto episcopatu Eboracensi, benigno fauore concedimus, vt ibi vice nostra corrigas quæ inuenieris corrigenda; & ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus, quatenus cuncta cum prouidentia & discretionem, secundum quod Deus tibi administrauerit, agas, vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini studeas complantare. Datum Anagninæ septimo Idus Octobris.



EPISTOLA  
 THOMÆ ARCHIEPISCOPI  
 CANTVARIENSIS  
 AD LONDONIENSEM OMNESQUE SIBI  
 SVBDITOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

Auctoritate apostolica consuetudines Anglicanas  
 damnat.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis ecclesiæ minister humilis venerabilibus fratribus suis Londoniensi, ceterisque totius Cantuæ prouinciæ episcopis, sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna.*

**F**RATRES mei dilectissimi, quare non confurgitis mihi aduersus malignantes? Ut quid non statis mecum aduersus operantes iniquitatem? An ignoratis, quoniam *Dissipabit Dominus ossa eorum qui hominibus placent? Confundentur, quoniam Dominus spreuit eos.* Satis nouit discretio uestra, quoniam error cui non resistitur approbatur; & veritas, cum minime defenditur, opprimitur, videturque, teste Gregorio, consentire erranti, qui ad ressecanda quæ corrigi debent non occurrit. Inde est quod dominum regem Angliæ satis superque sustinimus; nec vllum ex eo sustinentiæ nostræ assecuta est ecclesia Dei compendium. Periculosum & intolerabile de cetero nobis visum est, tantos illius officialiumque suorum circa ecclesiam Dei & ecclesiasticas personas excessus ut hæcenus impunitos relinquere; præsertim cum sæpissime nuntiis & literis, modisque aliis, prout decuit, studuerimus eum a peruerso proposito suo reuocare. Et quoniam vix ab eo auditi sumus, nullatenus tamen exauditi, scriptum illud, in quo illæ non consuetudines, sed prauitates potius, quibus perturbatur & confunditur Anglicana ecclesia, continentur, ipsiusque scripti auctoritatem, inuocata Spiritus sancti gratia, publice condemnauimus, & cassauimus: vniuersos etiam obseruatores, exactores, consiliarios, adiutores, seu defensores earum excommunicauimus: omnesque vos episcopos a promissione, qua contra constitutionem ecclesiasticam ad earum ob-

*Concil. Tom. 27.*

Kk

feruationem tenebamini, auctoritate Dei & nostra abfoluimus.

Quis enim dubitat sacerdotes Christi regum & principum, & omnium fidelium patres & magistros cenferi? Nonne miserabilis infania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subiicere, a quo credit se non solum in terra, sed & in cælis ligari posse & solui? Proinde ne in huius sententiæ commissum incidatis, auctoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum cum prauitatibus quæ in eo continentur, irritum duximus & cassauimus, præsertim in his:

1. Quod non appelletur ad sedem apostolicam super aliqua causa, nisi licentia regis.
2. Quod non liceat archiepiscopo vel episcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini papæ sine licentia domini regis.
3. Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de rege in capite, sine licentia regis, vel terram ipsius, vel officialium suorum, sub interdicto ponere.
4. Quod non liceat episcopo coercere aliquem de periuurio vel fide læsa.
5. Quod clerici teneantur ad secularia iudicia.
6. Quod laici, siue rex, siue alii tractent causas de ecclesiis, vel decimis, & alia in hunc modum.

Denuntiauimus etiam excommunicatum, & ex nomine excommunicauimus Ioannem de Oxeneford, qui in hæresim damnatam incidit, præstando iuramentum schismaticis, quo schisma iam fere emortuum in Alemannia reuixit, communicando illi nominatissimo schismatico Reginaldo Colonia archiepiscopo. Et quia contra mandatum domini papæ & nostrum decanatum Saresberienfis ecclesiæ sibi vsurpauit, quod quidem factum tum iuri contrarium, tum ecclesiæ Dei exemplo perniciosum, penitus cassauimus, & reddidimus irritum; præcipientes episcopo Saresberienfi & capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis sui, ne de cetero visis literis nostris, ex eo facto eum decanum habeant.

Similiter Richardum de \* Ibelis denuntiauimus excommunicatum, & excommunicauimus, ex eo quod in

eamdem hæresim damnatam inciderit, communicando cum Reginaldo Colonienſi ſchiſmatico, machinando etiam & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Teutonicis illis in perniciem Dei & eccleſiæ, & præſertim eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter dominum regem & ipſos.

Excommunicauimus etiam Richardum de Luci, & Iocelinum de \* Baillis, qui prauitatum illarum auctores & fabricatores extiterunt: Ranulphum etiam de Broc, qui bona eccleſiæ Cantuarienſis, quæ alimenta de iure ſunt pauperum, occupauit & detinet, hominesque noſtros tam eccleſiaſticos quam laicos cepit, & in captione tenet. Hugonem quoque de ſancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui eiufdem quoque eccleſiæ Cantuarienſis bona & poſſeſſiones abſque noſtra conniuentia occupaerunt, & tenent: omneſque etiam qui de cetero in poſſeſſiones & bona eccleſiæ Cantuarienſis contra voluntatem noſtram & conſenſum manus violentas extendent, eadem excommunicationis ſententia innodauimus.

## EPISTOLA XV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Sententiam contra Anglicanas conſuetudines & eorum defenſores latam confirmat.

*Alexander ſeruus ſeruatorum Dei dilecto fratri Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

**E**x literis tuis iam pridem & certa multorum relatione cognouimus, quod tu in Iocelinum Sarisberienſem episcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti ſententiam protuliſti. Ipſe vero licet ſuper hoc ad noſtram audientiam appellaret, & dominicam, qua cantatur Ego ſum paſtor bonus, proxime tunc venturam appellationi ſuæ terminum præfixiſſet, eodem inſtante nec venit, nec ad nos aliquem pro ſe reſponſalem tranſmiſit. Quocirca nos eum in contumacia & rebellionem ſua contra te fouere nolentes, ſententiam quam in eum propter hoc tuleris,

*Concil. Tom. 27.*

K k ij

auctore Domino, ratam & firmam habebimus, & totam causam eius tuæ discretionis arbitrio duximus relinquendam: quod inde canonice feceris, ratum, cessante appellationis obstaculo, habituri.

EPISTOLA XVI.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD EVMDEM.

De consuetudinibus Anglicanis a se confirmari petitis.

*Alexander episcopus Cantuariensi archiepiscopo salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**N**OVIT industria tua, quam feruentem dispositionem circa regni sui gubernationem carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris rex Anglorum impendat, & eandem vt firmior habeatur, vult auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari, petens vt antiquas regni sui consuetudines, & dignitates conseruemus illæsas. Item cum legationis officium totius Angliæ postulasset instantius, Eboracensi archiepiscopo indulgeri, pensantes tempora periculosa, legationis literas præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus, licet antequam inclinaremur ad consensum, nuntii eius nobis in verbo veritatis promiserunt, & super hoc iuramentum obtulerunt, quod nunquam sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo redderentur.

EPISTOLA XVII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD OMNES EPISCOPOS ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

*Alexander seruus seruorum Dei omnibus episcopis Angliæ  
salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VAMQVAM ex iniuncto nobis officio, de vniuersorum iure in sua integritate seruando, curam tenemur & sollicitudinem gerere, ad illorum iustitias, qui in parte sollicitudinis nobis commissæ a Domino sunt voca-

ti, quanto in gradu sublimiori existunt, tanto frequentius retorquere debemus, & super his maiorem diligentiam & curam propensioem habere. Hac siquidem consideratione inducti, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus super his, quæ ad ecclesiæ Cantuariensis iura, dignitates, aut etiam libertates spectare noscuntur, vos sine conscientia & assensu venerabilis fratris nostri Thomæ eiusdem ecclesiæ archiepiscopi introumittere nullatenus præsumatis, nec occasione appellationis, quam contra eum ad nos fecistis, id aliquatenus attentetis. Quod si aliquis vestrum contra hoc præceptum nostrum quolibet ausu venire præsumpserit, ita in eo excessum istum studebimus, Domino auctore, grauiter vindicare, quod pœna docente, cognoscet, quam periculosum fuerit apostolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kalendas Februarii.

## EPISTOLA XVIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

De legatione in Angliam missa.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

QVOD personam tuam literis nostris non sæpius visitamus, inde prouenire cognoscas, quod per nuntios tuos ea quæ non duximus scriptis committere cognitioni tuæ viua voce curauimus frequentius intimare. Nunc autem ad tuæ discretionis notitiam volumus peruenire, quod nos pacem tuam votiuis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios nostros, Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & \* Odonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum regem, vt legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisisimus; & specialiter, vt inter te & eundem regem concordiam &

Kk iij

pacem reforment, & cooperante Domino amicabilem faciant compositionem. Vnde quoniam nos pacem tuam & ecclesiæ omnimode vnã reputamus, nec magis, nisi quia ipsam maiorem ecclesiæ vniuersali collaturam credimus vtilitatem, optamus; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus, & mandamus, quatenus, quam periculosus præsentis temporis status existat, & quantum ecclesiæ tibi commissa præsentia & consilio tuo indigeat, consideres diligentius, & attendas ad pacem & concordiam inter te & memoratum regem fundandam, quantumcumque salua tua & ecclesiæ honestate fieri possit, animum & voluntatem tuam inclines.

Et si tibi in his non omnia secundum beneplacitum tuum succedant, ad præsens dissimules; quæ corrigenda fuerint, ad statum pristinum, processu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo carissimo filio nostro illustri Francorum regi secundum petitionem tuam significauimus, te a pace & concordia bono quoquo modo retardes, aut ab his animum & voluntatem tuam auertas, dummodo in conuentione tuam & ecclesiæ (sicut diximus) honestatem valeas conseruare. Quoniam multa poteris in posterum paulatim habita discretionem auellere, quæ si modo exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verum in iam dictos cardinales potes omnino confidere, nec de memorato Vvilielmo oportet te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, vt ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & distincte iniunximus: & ipse tantum nobis promisit, quod nos inde nullatenus dubitamus.

Subuentio-  
nem petit  
papa.

De cetero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus, vt dilectum filium nobilem virum comitem Flandrensem ex parte nostra diligenter conuenias, & instantius exhorteris, vt nostra & ecclesiæ necessitate inspecta, nobis in aliquo liberaliter studeat subuenire. Non enim credimus quod acceptiorem Deo eleemosynam possit facere, quam si nobis ad præsens ad tuendam ecclesiæ libertatem dignæ subuentionis solatium satagat exhibere.

EPISTOLA XIX.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Henrico  
illustri Anglorum regi salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**M**AGNIFICENTIÆ tuæ petitionibus gratanter admiffis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum cum Deo & iustitia possumus) satisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre, dilectos filios nostros, Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & \* Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, viros siquidem literatos discretos pariter, & honestos, & magnum in ecclesia Dei locum habentes, & tibi & regno tuo deuotos, quos nos inter alios fratres nostros caros admodum acceptosque tenemus, cum plenitudine potestatis causas, quas tibi in aliis literis expressimus, & alias quas expedire viderint, cognoscendi, in terram tuam cismarinam excellentiæ tuæ legatos duximus destinandos: quibus vices nostras in omnibus ita plene commisimus exequendas, sicut illis, vel aliis apostolicæ sedis legatis ecclesia Romana committere consuevit. Ea propter serenitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus ipsos, sicut tantos viros & apostolicæ sedis legatos, honorifice & benigne recipias, & mansuete (prout congruit regio honori) pertractes, vt antiquam deuotionem tuam in filiis suis sancta Romana ecclesia recognoscat; & excellentiæ tuæ ac toti terræ tuæ gubernationi commissæ incrementum inde non modicum valeat, cooperante Domino, provenire. Ea vero, quæ sublimitati tuæ ex parte nostra proponent, ita gnauiter admittas, & prompto animo acquiescas, quod Dominus in his & ecclesia sua dignis præueniatur honoribus, & tu ipse ac vniuersa terra tuæ gubernationi commissæ fructum inde multiplicem, & a Deo præmium, & coram hominibus laudem & gloriam suscipere

valeas. Hoc vero transcriptum nulli mortalium reueles, nisi soli magistro Gunterio, quia fidem meam super hoc magistro Galtero ita stricte, vt voluit, dedi.

## EPISTOLA XX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD LVDOVICVM VII. REGEM FRANCORVM.

De legatione per Franciam Thomæ archiepiscopo Cantuariensi commissa.

*Alexander seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Ludovico illustri Francorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**NTER cetera magnificentiæ tuæ & deuotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit, quod venerabilem fratrem nostrum Thomam archiepiscopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum, discretum pariter & honestum, & nobis & vniuersæ ecclesiæ Dei carum omnimodis & acceptum, & tot & tantis honoribus præuenisti, & ei tam ampla & tam magnifica humanitatis beneficia regia munificentia dignatus es largius erogare. Super quo vtique serenitati tuæ quantas & quas possumus gratias exhibemus, & clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus; id sicut Deo, cui hæc potius in persona illius fecisti, gratissimum, ita nobis acceptum putantes, tamquam si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam eiusdem archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exopramus, dilectos filios nostros Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula, & Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem duximus destinandos, vt inter eundem regem & præfatum archiepiscopum ad vtriusque honorem pariter, & perfectam concordiam, & pacem, Domino cooperante, reformat; & in ipsius regis terra transmarina causas emergentes audiant & cognoscant, & ibidem apostolicæ sedis legatione fungantur.

Eapropter magnificentiam tuam per apostolica scripta  
rogan-



rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenus pro ecclesiæ Dei reuerentia, & honore beati Petri, & nostro, apud iam dictum regem & archiepiscopum partes tuas efficaciter interponas, & studiosius labores, quod ad honorem Dei & ecclesiæ, & sui etiam commodum & augmentum, amicabilem inter se & pacifice conueniant: & ad hoc animos & voluntates suas, salua ipsius archiepiscopi & ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium iam dictorum cardinalium & laborem & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari, ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adiutorio fulta, non modicum inde suscipiet incrementum; & tu ab omnipotente Deo in illa felici retributione iustorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus auertat) conuenire non possint, dummodo regiæ voluntati sederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret & acceptum: quod si absque graui scandalo personarum regni tui fieri posset, ut nos prænominatum archiepiscopum specialis honoris prærogatiua inter ceteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde serenitatem tuam quanta possumus prece rogamus, ut si pacem, salua honestate sua, & ecclesiæ, quod omnimodis optarem, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum.

## EPISTOLA XXI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Ut pro bono ecclesiæ reges Francorum & Angliæ concordentur, & in Anglia de statu regni & ecclesiæ sine scitu Thomæ Cantuariensis nihil agant.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VANTA vniuersæ Dei ecclesiæ, & præsertim Romanæ & orientali, detrimenta & incommoda ex discor-

*Concil. Tom. 27.*

L1

dia & diffensione, quæ inter carissimos in Christo filios nostros illustres Francorum & Anglorum reges per humani generis contigit inimicum, potuerint euenire, nostram decet discretionem aduertere, & tanto diligentius ad ea extinguenda intendere, quanto exinde maiora (quod Deus auertat) pericula formidamus. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos & concordiam reformandam modis omnibus per vos & per alios religiosos & discretos viros vtriusque regni intendere studeatis, & ad hoc tota diligentia & totis viribus laboretis, vobis omnimodis præcauentes, ne ad petitionem vel fauorem vnus aliquid statuatis, vnde alter scandalizari debeat, aut quoquomodo turbari. Ad hæc vobis districtius prohibemus, ne vterque vestrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiusdem regni tractare, & præsertim de consecrationibus episcoporum aliquid vnquam efficere vel ordinare præsumat, nisi prius venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis archiepiscopus iam dicto Anglorum regi ex integro reconcilietur. Quod per studium & operam vestram, operante Domino, ad effectum posse perducere confidimus, & omnino speramus: sicut enim ex literis multorum discretorum virorum accepimus, nihil est, vnde præfatus Francorum rex, & tota terra ipsius amplius commota fuerit vel turbata, quam ex iis quæ Ioannes Saresberiensis decanus a nobis rediens in partibus illis dicitur disseminasse. Datum Beneuenti vndecimo Kalendas Septembris.

EPISTOLA XXII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD EOSDEM.

Significat nihil iurium ademptum esse Thomæ  
Cantuariensi archiepiscopo.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**P**OST discessum vestrum graues ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum scilicet filium nostrum Ioannem Saresberiensē decanum publice proposuisse, quod cum episcopos, & alias personas ecclesiasticas, & sæculares de regno Anglorum a iurisdictione & potestate venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi exemerimus, iuxta beneplacitum & voluntatem regis Anglorum, ad eius dispositionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re specialiter mittere deberemus; aliud quoque nobis insinuatum est, quod Ioannes Cumin de Oxeneford omnia rescripta literarum nostrarum, quas a nobis obtinuit, Guidoni Cremensi antipapæ monstrauit, & ipsi secreta nostra detexit. Vnde idem archiepiscopus erubescētia & dolore confunditur, & carissimus in Christo filius noster Ludouicus illustris rex Franciæ, & principes eius non parum sunt de eiusmodi rumoribus conturbati, & vehementius commoti. Licet autem a pluribus nobis proponatur, & quodammodo credibile videatur, quod prædictus Ioannes pro honore & exaltatione prædicti archiepiscopi & ecclesiæ suæ, & pro libertate ecclesiæ tantum & ita fideliter laborauerit, quod studio & sollicitudine sua, postquam ad propria rediit, viros ecclesiasticos, qui regia captione detinebantur, ab ergastulo carceris fecerit liberari: & etiam idem Ioannes per literas suas nobis significauerit, regem publice cum multis dixisse, se velle clericis suæ terræ illam libertatem, quam habebant tempore Henrici aui sui, seruare: quia tamen huiusmodi fama vsque adeo creuit, quod in partibus illis

*Concil. Tom. 27.*

Ll ij

opinionem nostram sinistra faciat æstimatione corrodi, discretionem vestram monemus, atque mandamus, quatenus continuo per literas vestras prædictum archiepiscopum consolari curetis, & omnem ab animo eius amaritudinem & suspicionem tollentes, eum cum prædicto rege in primis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis, & quanta poteritis ad hoc sollicitudine & diligentia elaboretis; ita quod sibi & ecclesiæ suæ antiqua iura & libertates integre & illibate seruetis. Nec in terra ipsius regis aliquid quod magnum sit faciatis, & in regnum eius si vos intrare velletis, nulla ratione intretis, nisi archiepiscopus sibi primitus integre reconcilietur. Quia super his nobis & vobis detraheretur plurimum, & communis vox omnium honestatem vestram finistris detractionibus laceraret. De Ioanne vero Cumin si ita esse inueneritis, districtam iustitiam faciatis, ita quod alii debeant a similibus deterreri. Volumus autem, ut in omnibus actibus & operationibus vestris circumspicite & mature & prouide vos habeatis, ita quod aduersus vos nulla possit detractionis materia subrogari, & deuotio vtriusque regni per studium & conuersationem vestram circa nos & ecclesiam debeat incessanter augeri, & vobis exinde perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Laterani Nonis Maii.

## EPISTOLA XXIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Regem humilitate vinci consulit.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**TSI aduersitatum & laborum angustia tibi acrius incumbere & inualescere videantur, plurima tamen sanctorum patrum tibi exempla proponas, qui sicut tu multas zelo iustitiæ calamitates & angustias passi, immarcessibilem coronam & cæleste regnum meruerunt felici-

ter adipisci. Quapropter rogamus prudentiam tuam, atque monemus, quatenus semper illud præ oculis habens; *Beati*, scilicet, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, tuum nullis aduersis animum frangas, nec vlla tribulatione deponas, sed eum fortitudinis & constantiæ virtute confirmes. Vbi vero iustitiam & libertatem ecclesiæ deperire cognoueris, cum rege Anglorum in depressionem & diminutionem ecclesiasticæ dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Verumtamen, quantum saluo honore officii tui & libertate ecclesiæ fieri poterit, teipsum humilies, & ad gratiam & amorem suum recuperandum modis omnibus enitaris. Neque plus iusto de eo timeas, neque maiores quam oporteat, securitates requiras, quia (sicut credimus) ex quo se tibi reconciliauerit, minime te offenderet, nec a quoquam pateretur offendi. Nos enim (sicut tibi sæpe viua voce ac literis proposuimus) te tamquam carissimum sincera caritate diligere volumus, & ad conseruationem honoris, libertatis, & dignitatis tuæ augmentum, quantum diuina gratia concesserit, aspirare.

## EPISTOLA XXIV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Vt eos qui propter defensionem rerum ecclesiæ per Cantuariensem excommunicati fuerant ad satisfactionem debitam præstandam compellant: quod si renuerint, eos iterum excommunicent.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**S**VGGESTVM est nobis, quod quidam eorum, quos venerabilis frater noster Thomas archiepiscopus Cantuariensis excommunicationi subiecerat, ecclesiæ suæ nec non & clericorum eius bona & possessiones detinere, & iisdem incubare præsumunt. Vnde quoniam indignum est, vt bonis & possessionibus illis detentis a vinculo de-

beant, quo tenentur, absolui: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si iam sicut audiimus, per aliquos sunt absolui, ipsis ex parte nostra virtute iuramenti firmiter iniungatis, quod præsumptas possessiones & bona personis & ecclesiis, de quarum iure existunt, incontinenti relinquunt, nec eas tenere, aut se in his de cetero intromittere qualibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint, vos eos omni dilatione & appellatione cessante in priorem excommunicationis sententiam, vsque ad satisfactionem plenariam, reducatis. Si vero a vobis fuerint absolui, id nihilo minus, sicut prædiximus, efficiatis.

## EPISTOLA XXV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Significat se Gratianum cum quodam notario ablegasse ad regem, petiturum ne iura ecclesiæ violet, & cum eodem Thoma reconcilietur.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**LLVSTRIS regis Anglorum nuntios & literas accepimus. Et cum a nobis per eosdem nuntios quædam magna & difficilia postulasset, & super iis obtinendis apud nos nuntii eius vehementer & fortiter institissent, animum nostrum ad voluntatem suam nequaquam flectere potuerunt. Sed ne possent habere vllam materiam & occasionem de nostra duritia conquerendi, & quod sibi nollemus in aliquo deferre, sequentes vestigia & exempla prædecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus, prædictum regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine a suo reuocare proposito, & eius mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Inde vtique fuit, quod nos (sicut de consilio & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, virum honestum &

literatum, quem ob memoriam sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Eugenii papæ, & intuitu sincerissimæ fidei & obsequii sui, carum omnimodis acceptumque tenemus; & magistrum Viuanum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam & literaturam eius sincero cordis affectu diligimus, ad præfati regis præsentiam duximus destinandos. Per quos, & per literas nostras ipsum cum omni studio & sollicitudine districtius quam possumus commonemus, ut tibi pacem & gratiam suam restituens, te ad ecclesiam tuam honorifice reuocet, & tam tibi, quam eidem ecclesiæ, antiqua iura, & libertates, & honores integre & illibate conseruet, & te & tuam cum omni pace & tranquillitate esse permittat.

Quapropter rogamus fraternitatem tuam atque monemus, quatenus malitiam & angustiam temporis diligenter considerans, & attendens, quomodo maiores nostri tempora redemerunt propter dierum malitiam, ad recuperandam gratiam & amorem supradicti regis, omnibus modis quantum saluo ordine & officio tuo fieri potest, elaboras, & eius fatagas animum mitigare, illam patientiam, mansuetudinem & benignitatem ostendens, quod a nullo merito possit dici per te remansisse, quo minus gratiam & bonam voluntatem illius plenius deberes adipisci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus, ut usque ad discessum nuntiorum nostrorum nec in regem, nec in personas regni, aut regnum, aliquam sententiam proferas; & si forte (quod non credimus iam protulisti, ipsam usque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideo dicimus, ut illi omnem conquerendi occasionem & materiam tollamus, & eius duritiam tali modo vincamus. Si enim secus (quod absit) contigerit, nos tibi auctoritatem tuam subtrahere nullatenus volumus, sed potius conseruare, & auxilium & consilium nostrum diligenter conferre. Cetera vero in ore nuntiorum nostrorum posuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis & exhortationibus acquiescas.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**M**AGNIFICENTIÆ tuæ literas, quas nobis per dilectos filios nostros, primo Reginaldum Saresberiensem, & deinde Randulphum Lauensem archidiaconos, viros prouidos & discretos, & in commisso sibi negotio studiosos atque sollicitos transmisisti, paterna benignitate suscepimus, & earum continentiam diligenter curauimus & studiose audire. Cum autem excellentiæ tuæ petitiones nobis tam ex serie literarum, quam ex nuntiorum tuorum viua voce, plenius innotuissent, & nos cum fratribus nostris exinde diutius deliberassemus; non fuit nobis visum quod aliquam earum, iuxta quod rogasti, cum honestate nostra & ecclesiæ possemus effectui mancipare. Verumtamen, vt sublimitati tuæ in omnibus, quantum cum honore Dei & ecclesiæ fieri poterit, deferamus; & ne nos potius ex voluntate, quam de necessitate credas aliqua ratione fecisse, dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, & magistrum Viuianum, viros quidem prouidos & discretos, & nobis ac toti ecclesiæ caros pariter & acceptos, ad regiæ celsitudinis præsentiam destinauimus; per quos magnificentiæ tuæ voluntatem & animum nostrum, & talia, quæ ad honorem & exaltationem tuam spectabunt, & quæ serenitati tuæ merito placere debebunt, plenius significamus.

Quod autem (sicut ex magnificentiæ tuæ literis intelleximus) intantum voluntatem tuam, & animum tuum circa negotium venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi inclinasti, quod eum ob reuerentiam ecclesiæ, & nostram permitteres ad propria remeare, & ecclesiam in pace tenere, dummodo quod tibi debet impendere velit, gratum admodum acceptumque tene-

mus,



mus, & diuinæ clementiæ, quæ hæc cordi tuo procul dubio inspirauit, quantas possumus laudes & gratias exhibemus; serenitatem tuam attente rogantes, & tibi in delictorum tuorum veniam iniungentes, quod Deo potius quam homini in præscripto negotio deferas, & ad hoc solummodo diuinæ pietatis respectu animum tuum inclines. Super eo vero, quod magnificentiæ tuæ de nobis, & nostræ voluntatis mutatione significatum fuisse dicebas, non oportet discretam prudentiam tuam omni spiritui credere, cum multi detractores, & corrosores existant, quorum dictis quibuslibet non est fides adhibenda aliquatenus. Nos autem voluntatem & desiderium habemus personam tuam, sicut carissimi in Christo filii nostri, toto cordis affectu diligere, nec eam in aliquo (nisi forte, quod Deus auertat, nos ad hoc tu ipse compelleres) volumus aggrauare. Datum Beneuenti pridie Kalendas Martii.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ XXVII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

*Minatur illi censuram ecclesiasticam, nisi a sacrilegiis  
abstineat.*

Et quidem, si ea, quæ monentes in spiritu mansuetudinis, & cum omni humilitate prædiximus, effectui, sicut debes, mancipare curaueris, & tuæ procul dubio gloriæ & saluti consules, & Deo ac nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin, quantumcumque te sicut filium carissimum & Christianissimum principem diligere, & tuæ magnitudini deferre velimus, manus beati Petri & nostras a tuo non poterimus grauamine continere. Et plus Deum, quam homines, sicut dignum est, metuentes, ecclesiæ iura pariter & honorem concessa nobis diuinitus potestate integre curabimus atque inuiolabiliter conseruare. Datum Beneuenti septimo Idus Octobris.

*Contra inuestituras a laicis usurpatas.*

**A**D audientiam nostram, communi fama referente, & multorum etiam relatione peruenit, quod post instantem turbationem, quæ inter carissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem, & venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum, exigentibus peccatis, emerfit quædam praua consuetudo & in illis partibus inoleuit, scilicet, quo laici ecclesias & ecclesiastica beneficia soleant passim in regno Anglorum quibus vellent conferre, & auctoritate sua clericos inuestire. Vnde quoniam id sanctorum patrum institutionibus adeo cognoscitur contradicere, vt danti & accipienti de manu laica sit anathema, & hoc in ecclesiasticæ libertatis perniciem non est dubium grauius redundare, nos vniuersas \* donationes, a laicis de ecclesiis<sup>colle-  
tion.</sup> quibuslibet huius turbationis tempore quibuscumque factas, auctoritate beati Petri ac nostra omnino cassamus, & irritas esse decernimus.

Quapropter vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus vniuersos illos, qui ecclesias, præbendas, vel alia ecclesiastica beneficia, vbicumque in Anglia de manu laica, maxime huius turbationis tempore, susceperunt, diligentius moneatis, & instantius exhortari curetis, quod ecclesias ipsas, præbendas, vel beneficia cum fructibus inde perceptis in manus vestras, omni contradictione & appellatione cessante, resignent, & eis, ad quorum ordinationem iure ecclesiastico spectant disponendas relinquunt. Quod si ad commonitionem nostram infra quadraginta dies post harum susceptionem non fecerint, vos eos auctoritate nostra, sublato appellationis remedio, cuiuslibet timore, gratia, & prohibitionem postposita, excommunicationis sententia feriatis, & ab omnibus faciatis per parochias vestras sicut excommuni-

\* collationem

catos vitari; donec ecclesias præscriptas & alia beneficia ecclesiastica libera resignauerint illis, ad quorum\* donationem & ordinationem spectant, & in pace dimiserint, & de fructibus inde perceptis dignam ecclesiæ exhibuerint satisfactionem. Si autem in his exequendis negligentes fueritis aut remissi, nos omnes illos, qui ecclesias, vel cetera beneficia ecclesiastica præter assensum episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu laica (quo superius dictum est) accepisse noscuntur; nisi præceptis nostris infra terminum præscriptum paruerint, excommunicationis sententiæ auctoritate, qua fungimur, decernimus subiacere, & eos sicut a nobis excommunicatos præcipimus ab omnibus euitari. Data Beneuenti decimo quarto Kalendas Iunii.

## EPISTOLA XXIX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM II. REGEM ANGLIÆ.

Duritiem exprobrat, & minatur censuram, nisi Thomam recipiendo pareat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

QVAM paterne & quam benigne regiam sapius excellentiam conuenerimus, & per literas & nuntios frequentius exhortati fuerimus, vt venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum tibi reconciliare deberes, & sibi ac suis ecclesias cum ceteris ablati restituere, sublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat, cum id toti fere Christianitati publicum ac manifestum existat. Vnde quoniam in hoc hucusque proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis & lenibus emollire, tristes & dolentes efficimur. Et nos spe ac fiducia nostra frustrari dolemus, præsertim cum te, sicut carissimum filium sincerius in Domino diligamus; cui in hoc graue periculum imminere videmus. Et quoniam scriptum est: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam,* Isai. 58. & *annuntia populo meo scelera eorum.* Et alibi: *Nisi annuntia-* Ezech. 22.  
 Concil. Tom. 27. Mm ij

Ecl. 22.

*ueris impio impietatem suam, sanguinem ipsius de manu tua requiram.* Et alias per Salomonem *Piger homo de stercore bouum lapidari iubetur: duritiam tuam, sicut hactenus, contra iustitiam & salutem nostram non duximus vltius suppordandam; nec præfato archiepiscopo os de cetero aliqua ratione claudemus, quin officii sui debitum libere profequatur, & suam & ecclesiæ suæ iniuriam ecclesiastica seueritatis gladio vliscatur.* Quæ autem in literis istis tam de his, quam de aliis minus continentur, dilecti filii nostri prior de monte Dei, & frater Bernardus de Corilo, viri siquidem plus Deum quam homines reuerentes, serenitati tuæ latius viua voce proponunt. Quorum admonitioni ille, cui seruire regnare est, & in cuius manu corda regum consistunt, animum & voluntatem tuam inclinēt, vt potius flecti velis, quam contra Deum & salutem tuam in tantæ obstinationis proposito diutius permanere. Quod si nos in illis nec sic audire volueris ea quæ tibi ex parte nostra proposuerint, procul dubio venturam poteris diuinam vltionem in proximo timere.

## EPISTOLA XXX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Vt auctoritas archiepiscopi Cantuariensis suspenſa esset, quousque a rege pacem consecutus esset.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei illustri Anglorum regi Henrico salutem & apostolicam benedictionem.*

**M**AGNIFICENTIÆ tuæ nuntios, scilicet dilectos filios nostros Ioannem Cumin, & Radulphum de Tamevrde, nobis & ecclesiæ Dei deuotos, & regiæ sublimitati (sicut credimus) per omnia fidelissimos, & literas, quas excellentia tua nobis per eisdem transmisit, tanto benigniori mente suscepimus, & tanto eos maiori gratia præuenimus, & honore, quanto plenius sciuius ipsos a magnifico principe, & rege Christianissimo fuisse transmisſos: cui vtique omnem, quam cum Deo possumus, gloriam cupimus & honorem, & ad cuius incrementum modis omni-

bus, quibus honeste poterimus, nos & fratres nostri ac tota ecclesia quanto deuotissimæ sinceritatis tuæ affectum in maiori sumus necessitate experti, tanto ardentius intendimus aspirare. Non enim tuæ deuotionis insignia, nobis tempore tam opportuno exhibita, a nostra in posterum memoria vlla poterit ratione diuelli, vel in conspectu ecclesiæ aliqua desuetudine inumbrari. Petitiones quoque tuas, quas nobis per iam dictos nuntios tuos misisti, in quibus cum Deo & honestate nostra potuimus, sicut iidem magnificentia tuæ nuntii viua voce plenius enarrabunt, curauimus executioni mandare. Personas siquidem de latere nostro, iuxta quod rogasti, licet nobis grauissimum ac difficillimum hoc tempore maxime videatur aliquos a nobis emittere, cum fratrum nostrorum, & eorum præsertim, quos tu desideras præsentia & consilio opus habeamus, illius tamen recolendæ ac magnificæ deuotionis tuæ, vt diximus, non immemores existentes, ad sublimitatis tuæ præsentiam duximus destinandas cum plenitudine potestatis, ecclesiasticas causas, quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cantuariensem hinc inde vertuntur, & illam quæ inter eundem archiepiscopum & episcopum regni tui super appellatione ad nos facta mouetur, nec non alias causas terræ, quas nouerint expedire, cognoscendi iudicandique, & prout sibi Dominus administrauerit, canonice terminandi. Eidem quoque archiepiscopo, ne te aut tuos, seu regnum gubernationi tuæ commissum, donec causæ illæ debitum sortiantur effectum, in aliquo grauare, vel turbare, aut inquietare attentet, omnimodis inhibemus: verum si præfatus archiepiscopus in te aut regnum tuum, vel personas regni, interim aliquam sententiam tulerit, nos eam irritam esse, & non te tenere censemus. Ad indictionem autem huius rei, & argumentum nostræ voluntatis, literas præsentis, si articulus ingruerit necessitatis, ostendas. Alioquin serenitatem tuam rogamus, & attentius commonemus, vt literas ipsas, aut earum tenorem, a nullo sciri permittas, sed eas habeas omnino secretas. Illos autem familiares, & consiliarios tuos, quos iam dictus archiepiscopus sententiæ excommunicationis subiecit, personæ de latere nostro transmissæ, Domino auctore, absoluent. Si autem aliquis illorum

interim metu mortis laborauerit, præstito secundum ecclesie consuetudinem iuramento, quod nostro, si conuauerit, debeat parere mandato, ipsum ab aliquo episcopo, vel religioso, & discreto viro, absolui concedimus.

## EPISTOLA XXXI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Suspensionem suæ commissionis apostolicæ reuocat.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & dilectionem apostolicam.*

**A**D discretionis tuæ notitiam credimus peruenisse, qualiter illustri rex Anglorum Henricus nobis nuntios suos direxit, & quam dura & aspera, & quæ nostrum animum plurimum affligebant, per eos a nobis petierit, terribiles minas prætendens, nisi voluntati eius condescenderemus. Nos vero, quia nondum persecutio ecclesie cessauit, nec temporis serenitas adhuc nobis, sicut expediret, arrisit, impetum & motum animi sui, etsi non exaudiuimus petitiones suas, mitigare curauimus, & temperare, illo timore perculsi, ne ad impediendam & disturbandam pacem ecclesie se (prout olim fecit) tyranno & flagitioso inimico ecclesie, Friderico videlicet imperatori, aliquo fœdere societatis adiungeret, vel materiam haberet ab ecclesia & nostra deuotione recedendi. Inde est, quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, fraternitati tuæ, sub certa quasi spe & fiducia, quod te in gratiam suam recipiat, & Cantuariensem ecclesiam in tua libera dispositione dimittat, per apostolica scripta mandauimus, vt nec in ipsum, nec in personas regni, aut in regnum, interdicti, seu excommunicationis, vel suspensionis sententiam debeas promulgare, nisi alias nostras literas reciperes, in quibus, si idem rex nollet tibi gratiam suam reddere, facultatem habeas in eum & suos officium tuum exercendi. Quapropter, quia tibi tamquam fratri carissimo, & ecclesie tuæ proprium

honorem & libertatem cupimus omnibus modis conseruare, nisi (quod speramus, & ei proposuimus) vsque ad initium proximæ quadragesimæ effectui mancipauerit, sed in sua fuerit obstinatione induratus, tibi extunc auctoritatem tuam restituimus, vt tam in personas, quam etiam in regnum, & in ipsum regem, si tibi & ecclesiæ tuæ congruere & expedire cognoueris, facultatem liberam habeas debitum officii tui, cessante omni appellationis obstaculo, exercendi, grauitate ac maturitate pontificali adhibita, quam conuenit adhiberi.

EPISTOLA XXXII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD SOLDANVM ICONII.

Ipsum baptizari cupientem in fide instruit.

*Alexander seruus seruorum Dei Soldano Iconii veritatem agnoscere, & agnitam custodire.*

**E**x literis tuis, & nuntiorum tuorum fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas ad Christum conuerti: cumq; iam receperis, vt audiuimus Pentateuchum Moyfi, prophetiam Isaïæ, & Ieremiæ, Pauli etiam epistolas, atque Ioannis euangelium & Matthæi, postulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege Christi quasi vice nostra plenius \*instruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato \*concurrentes assensu, tales excellentiæ tuæ procurabimus destinare, qui apud te in doctrina sana, & salutaribus monitis, \*vices apostolicæ auctoritatis suppleant: quorum etiam mores & merita ab honestate & munditia eruditionis euangelicæ non discordent. Quoniam vero nostræ fidei \*seruam & tenorem literis tibi supplicas aperiri, nos tuis congratulantes desideris, illam sub quodam compendio, & quasi digito tenus, intimamus. Illud igitur pie credas, & fideliter teneas, quod vnus est Deus, sic tamen vt in assignatione deitatis sit vnitas in substantia & trinitas in personis. Est enim Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnum sunt. Est autem ea discretio in personis, vt nec Pater sit Filius, nec

\* al. in-  
formeris.

\* al. oc-  
curren-  
tes

\* al. vicē

\* al. seruē  
quamdā

Tres perso-  
næ in diui-  
nis & vna  
essentia.

Filius sit Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus sit Pater; aut Filius. Res quidem difficilis est intellectu, & aciem rationis humanæ transcendit, sed tanto elegantius habet \* fidei meritum, quanto difficilior est ad credendum. Porro licet nihil inuenire possimus, quod expressam habeat vnitatis, quæ in Deo est, summæ Trinitatis imaginem, nec verba etiam inueniamus, quibus possimus de summa illa essentia digne loqui, quod possumus tamen faciemus, & quasi balbutientes per verba rebus accommodata transitoriis rem tibi ineffabilem aperiemus. Paulus apostolus dicit, quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Vide ergo, mentem hominis, corpusque solare considera; & videbis qualitercumque, licet tenuiter, & quasi oculo conuiuenti, quamdam similitudinem Trinitatis. Est in mente hominis intelligentia, memoria, & voluntas. Mentem autem vocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem: memoria, intelligentia & voluntas sunt vna mens, sed nec memoria est intelligentia vel voluntas. In eodem corpore solis radium video, sentio calorem, & agnosco splendorem: hæc tria vnius essentia sunt; nullum tamen eorum est alterum. Sic & in illa ineffabili & incircumscripibili gloria deitatis est Filius a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Cumque Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, eiusdem substantia, eiusdem potentia & gloria sint, non sunt tamen tres dii, sed in tribus personis sunt vna substantia, & vnius potentia, & in vna substantia tres personæ. Hæc fidei nostræ professio, non tantum a Christo & eius sequacibus traxit exordium, sed a Moyse & patriarchis atque prophetis suum habuit fundamentum. In libro Moyse diuinæ essentia vnitatis declaratur, vbi dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* Et iterum: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti, non erunt tibi dii alieni præter me.* Pluralitatem vero personarum ibi patenter insinuat, vbi dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cum enim Verbum sit Filius Dei, sicut Ioannes, cuius euangelium recipis, protestatur, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum*

Trinitas comparata animæ & Soli.

Trinitas ex veteri testamento probata.

Deut. 6.

Deut. 5.

Gen. 1.

Ioan. 1.



*factum est nihil.* Vides quod ad Filium & Spiritum sanctum Patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat: *Faciamus, & Nostram.* Per Verbum enim & Spiritum sanctum Dominus Deus operatus est vniuersa. Sicut Dauid propheta commemorat: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem etiam propheta mysterium Trinitatis eleganter insinuat, vbi ter hoc nomen, Deus, in eodem versiculo repetit, & inculcat dicens: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Prænominatus Ioannes in epistola sua canonica dicit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt.* Isaias etiam propheta, quem recipis, se audisse testatur Seraphin clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth.* Quare tertio replicat, *Sanctus*, nisi vt in Domino Deo exercituum Trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa ac beatissima Trinitate Pater, qui Filium genuit, Filius qui genitus a Patre, Spiritus sanctus, qui progreditur ab vtroque. Nec in illa genitura vel processione damnum refectionis vel imminutionis passa est in Patre vel Filio diuina substantia. Sicut enim lumen a lumine sumitur sine imminutione luminis a quo sumitur, sic æqualis a Patre Filius, & vtrique coæqualis procedit ab vtroque Spiritus sanctus. Modum tamen genituræ aut processionis huius humana ratio non attingit. Vnde cum Isaiæ de Filii generatione constaret, modum tamen generationis inenarrabilem esse sciens; *Generationem, inquit, eius quis enarrabit?* Dauid propheta in persona Filii de hac generatione sic loquitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Filius etiam Dauid Salomon, quem Deus scientia & intellectu mirabiliter illustrauit, in persona Christi, *Qui est* sicut Paulus dicit, *Dei virtus & Dei sapientia.* In libro Sapientiæ (si tamen eum recipis) ita dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret: necdum erant abyssi, & ego concepta eram. Quando præparabat cælos, aderam. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens.* Apostolus etiam Paulus Spiritui sancto, imo toti Trinitati, testimonium perhibet, dicens: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Et alibi: *Si spiritus eius, qui Iesum suscitauit, habitat in vobis, viuifi-*

Spiritus  
sanctus a  
Patre & Fi-  
lio proce-  
dit.

Trinitas  
probata ex  
nouo testa-  
mento.  
Gal. 4.  
Rom. 8.

Concil. Tom. 27.

N n

*cabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Si Christi testimonium de vnitae essentiae & personarum Trinitate desideras, ipse in euangelio dicit: *Ego & Pater vnum sumus.* Christus etiam discipulis suis dicit: *Ite, baptizate omnes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Cum igitur homo perdidisset propter inobedientiam paradysum, & infernales miseras perpetuo meruisset, missus est a Patre Filius; dignumque fuit vt mitteretur Filius, & non Pater. Cum enim a nullo esset Pater, & Filius ab aliquo, erat conuenientius vt haberet in tempore matrem, qui ab aeterno habuerat Patrem. Cum enim scriptum esset in psalmo Dauid: *Non est qui redimat, neque qui saluum faciat: non est qui faciat bonum, non est usque ad vnum:* non est qui det placationem pro anima sua, nedum pro aliena: missus est a Deo Patre Filius, vt homo pro homine moreretur, & pro homine captiuo tributum mortis tamquam homo exolueret, eumque tamquam Deus caelesti potestate redimeret. Eius aduentum desiderauerant patriarchae, praedixerant prophetae, atque illinc dilationem impatientius sustinentes querela <sup>\* al. continua</sup> dicebant: *Quando veniet? quando videbimus? Da Domine mercedem sustinentibus te, vt prophetae tui fideles inueniantur.* Vtinam, dicit Isaias, *Domine, dirumperes caelos, & venires.* Et Dauid: *Domine inclina caelos tuos, & descende.* Sed &, teste Isaias, angeli pacis praedilatione nostrae salutis amare flebant. Idem vero Isaias de Christi natiuitate manifestius loquens; *Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Cum autem Maria de Iesse originem traxerit, idem propheta natiuitatem Mariae, & per Mariam Christi, atque plenitudinem gratiae spiritualis in Christo manifeste declarat, dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis; & replebit eum Spiritus Domini.* Natus est itaque Filius Dei de virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus Adam de tera virgine & inuiolata, Spiritu sancto in ea operante, nostraeque salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus enim inscrutabilis est incarnationis dominicae sacramentum. Plurima tamen antiquis patribus

Joan. 10.

Matth. 28.

Psal. 7.

Psal. 13.

Psal. 48.

Filius Dei  
incarnatio  
probat.

Ecc. 36.

Isa. 64.

Psal. 143.

Isa. 7.

Isa. 11.

Beata Ma-  
ria manit  
virgo in  
partu.

acciderunt, in quibus huius natiuitatis figura præcessit.

<sup>\* al. com-  
pletum</sup> Quod enim vellus Gedeonis rore cæli \* complutum est, <sup>Isa. 6.</sup>

cum area circumquaque arida remaneret, ros Spiritus sancti designatur in Virgine, quæ ad hoc propter humili-

tatem suam specialiter & singulariter est a Domino præ-

electa. Cui Psalmista concordat, dicens: *Descendet sicut plu-*

*uia in vellus.* Quod Moyfi ignis in rubo apparuit, & non

est rubus corruptus igne, virginitatis integritas in Maria

monstratur. Quod virgis aliarum tribuum remanentibus

ficcis, virga Aaron, de cuius stirpe beatissima traxit ori-

ginem, fronduit, & floruit, flos in virga Iesse, quem vati-

cinauerat Isaias, partum scilicet incorruptæ virginis in-

dicauit. Cum inimici Dei essemus, per aduentum Christi

reconciliati sumus, sicut propheta prædixerat: *Et pax*, in-

quit, *erit in terra, cum venerit*: ideoque angeli in ipsius nati-

uitate gloriose pacis canticum cecinerunt: *Gloria in ex-*

*celsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Noua

etiam stella Magis apparuit, atque historiarum testimo-

nio Romæ fons olei de terra fluxit in Tiberim. Templum

etiam olim Romæ conditum, quod idola non ruiturum

prædixerant, donec Virgo pareret, eadem nocte funditus

corruit. Probatica quoque piscina, quæ Hierosolymis erat,

ad aduentum angeli moueri, & sanitates conferre tunc cœ-

pit. Vehementissime nobis nocuit vetus Adam, sed plus

profuit nouus. Amplius nobis contulit huius humilitas,

quam superbia istius abstulerit. Nam, Paulo apostolo te-

ste, *Non sicut delictum, ita & donum*: damni enim æstimatio-

nem beneficii magnitudo transcendit. Quem prius habui-

mus terribilem \* Dominum & iudicem, nunc habemus hu-

milem fratrem & proximum. Christus itaque cursum no-

stræ mortalitatis transigens in fame & siti, in lassitudine

& dolore, & in vniuersis miseriis huius vitæ, demum tra-

ditus a discipulo, & tamquam vile mancipium venditus,

flagellatus, consputus, spinis coronatus, illusus, clavis af-

fixus stipiti, & morte turpissima condemnatus, quæ non

rapuit soluit, & sponte morti se offerens, omnia in humi-

litate sustinuit, sicut \* Isaias aliquando prædixit. *In hu-*

*militate*, inquit, *iudicium eius sublatum est. Sicut agnus*

*ad occisionem ductus est, & sicut ovis coram tondente se sic*

*non aperuit os suum.* Qui ergo puerulus a iusto Simeone

Concil. Tom. 27.

N n ij

<sup>Isa. 6.</sup>

<sup>Psal. 71.</sup>

<sup>Exod. 3.</sup>

<sup>Num. 17.</sup>

<sup>Hebr. 9.</sup>

<sup>Mich. 5.</sup>

<sup>Luc. 2.</sup>

<sup>Matt. 2.</sup>

<sup>Eusebius in</sup>

<sup>chronico.</sup>

<sup>Petrus Da-</sup>

<sup>miani in</sup>

<sup>homil.</sup>

<sup>apud Sur-</sup>

<sup>tom. 6.</sup>

<sup>Vide notas</sup>

<sup>serm. 1.</sup>

<sup>Ioan. 5.</sup>

<sup>Passio</sup>

<sup>Christi.</sup>

<sup>Isai. 53.</sup>

<sup>Act. 2.</sup>

<sup>\* al. Deū  
& iudi-  
cem,</sup>

<sup>\* al. Isaias  
comme-  
morat.</sup>

Luc. 2.

Psal. 140.

Car Christi  
sus per  
passionem  
nos redē-  
merit.

Leuit. 4.

Hebr. 9.  
Apocal. 5.  
Gen. 3.  
Exod. 35.

semel oblatus fuerat in templo, in vespera legis & sine ceremoniarum pro redemptione nostra in Cruce manus suas leuauit ad Patrem, iuxta illud Dauidicum: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Sic reatus, quem Adam per superbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine per humilitatem Christi sublatus est, fusoque sanguine sine culpa omnium culparum chirographa sunt deleta. Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse, sed nullus suæ benignitati nostræque saluti congruentior occurrebat. Cum enim homo iuxta suæ præuaricationis exigentiam captus a diabolo teneretur, postulabat iustitia, vt non eriperetur per violentiam, sed qui per superbiam lapsus est, sua, si posset; sed quia sua non poterat, aliena saltem humilitate resurgeret. Ita Christus innocens, quem agnus paschalis in lege signauerat, se pro nobis hostiam obtulit salutarem. Cumque lex Moyfi capram vel ouem constituisset precium ad redemptionem hominis a peccato, Christus, per quem gratia & veritas facta est, attendens vmbrales legis ceremonias non sufficere ad salutem, hominisque æstimationem pluris faciens, quam ouis, hirci, aut vituli, sanguinem & mortem suam pro nostra salute obtulit, & sic semel in sancta summus & verus pontifex introiuit æterna redemptione inuenta. Aperuit itaque librum, & soluit signacula eius leo de tribu Iuda, & quod hostiæ legales non potuerunt, gladium amouit versatilem, & paradisi, qui omnibus antiquis clausus fuerat, reserauit ingressum: sic enim olim in morte summi pontificis solet his, qui ad ciuitates refugii confugerant, securus ad propria reditus indulgeri. Olim consueuerat homo causari, & dicere, Cur exigit a me Dominus amplius, quam a ceteris creaturis? Quid pro me fecit? Quid pro me laborauit? Dixit, & factus sum: sicut iumenta, & arbores, & cetera vniuersa, sic suæ potentia nutu, soloque iussionis arbitrio, me creauit. Sed iam obstructum est os loquentium iniqua. Nam homini dissimulare non licet, quanta pro eo Dominus fecerit, qui vt feruum redimeret, proprio Filio non pepercit. Porro in redemptione hominis laborem & dolorem inuenit, quia famem, sitim, fatigationem, insidias, opprobria, flagella, coronam spineam, clauos & lanceam, ignominiam Crucis,

& mortis angustiam pro nostra impietate, & pro sua pietate, pro nostra necessitate, & pro sua humilitate sustinuit. *Nonne ergo Deo subiecta erit anima mea? Nonne omnia ossa mea* psal. 61. *dicent: Domine quis similis tibi? ut non cesset de cetero ab* psal. 34. *ore & corde meo gratiarum actio & vox laudis? Quomodo potuit sapientia Dei mecum misericordius agere, aut me ad ipsum diligendum dulcius & efficacius inuitare? Præterea iustorum animæ, quæ quantum ad prærogati- Iusti ad inferos olim descendebant. uam originis, non multum a cælestium spirituum dignitate degenerant, omnes ad inferos descendebant; decebatque, ut Deus quandoque memor suæ imaginis esset, atque iuxta suorum præconia prophetarum de animabus electis iacturam casus angelici repararet. Sic in hac nostræ salutis dispensatione dilectio Christi nobis medullitus \* al. intimatur. \* intimata est, qui cum in lege Moyse nobis dilectionem Dei & proximi dederit in mandatis, eamdem in schola euangelicæ disciplinæ frequentius & fortius verbis, & tandem exhibitione operis inculcauit: *Maiorem enim carita- Iohan. 15. tem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Dedit itaque materiam diligendi se, qui in suis dilectionibus nos præuenit: nec aliud a nobis exigit, nisi ut ipsum diligamus ex corde. Sane inhumanus est, & crudelis, qui misericordiam eius non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui se pro eo, si opus est, mortis periculo desiderabiliter non exponit. Christus autem mortuus & sepultus tertia die resurgens a mortuis, sicut discipulis \* al. viuis præd. \* viuendo prædixerat, eisdem postea frequenter apparuit, & cum ipsis loquens & comedens, ostensis vulneribus manuum, pedum ac lateris, in cordibus quorundam, qui adhuc hæsitabant in fide, ostensione vulnerum vulnus dubitationis amouit. *Quadraginta itaque Act. 1. diebus cum eis visibiliter conuersatus, \* eisdem comitantibus, venit in montem Oliueti, & videntibus illis eleuatus est, & ascendit ad Patrem: vbi eum esse in Patris dextera credimus, atque in communi resurrectione ipsum viuorum & mortuorum iudicem expectamus. Ut igitur Dominus noster Iesus Christus voluit & debuit ad horam Christus cur fuerit Deus & homo. mori, quia homo, potuit & debuit post mortem resurgere: ut qui hominem superauerat diabolus, ab homine superaretur, & superatus confunderetur. Erubescant infi-**

deles & præuaricatores, qui inordinate in hæc prorumpunt deliramenta. Si Christus Deus fuit, quomodo potuit mori? si homo, quomodo resurgere? Fuit nempe Deus & homo, quia homo debuit mori; quia Deus, potuit resurgere. Vtile quoque nobis fuit, quod sub iniquo iudice sponte mori dignabatur, valuit & voluit resurgendo mortem superare. Et sicut diabolus per suos ministros in Dominum suum manus ausu temerario iniecit violentas, ita iuste ac iudicialiter dominium & tyrannidem, quam in hominem exercuerat, amisit in æternum: & hoc modo competenti, qui hominem vicerat, ab homine vincebatur, & qui in ligno superauerat, in ligno scilicet Crucis potenter & prudenter superatus fuit a Deo & homine Christo Iesu: vt quasi frater ab homine amaretur, & quasi Deus timeretur. Ceterum necessarium fuit vt ille idem, qui nos creauit, & nos recrearet; qui nos fecit, redimendo reficeret, ac perditos repararet: ne vnum Deum tamquam creatorem obligaremur adorare, & alium redemptorem venerari teneremur, & ita duobus dominis famulari. Et quod Filius non Pater, non Spiritus sanctus incarnaretur, necesse fuit & conueniens: quia Filio assimilari præsumpsit homo, scilicet Adam, aspirans & volens scire bonum & malum, vt Deus. Videbatur igitur Filius esse in causa, sicut sanctitas Abel inuidiæ Cain, & sic mortis ipse, Dixit igitur Filius noster quasi Ionas, cum ait: *Ego sum qui peccaui, proiicite me in mare.* Non sufficit exile sacrificium & holocaustum ad tanti sceleris, quod patrauerat homo, expiationem. *Ecce venio, ego ipse venio, quia in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam:* ecce adsum immolandus. Iterum, si tantum negotium, scilicet hominis redemptio, angelo committeretur, non esset tutum: quia in Lucifero superbia angelum reddidit infamem & suspectum: si homini, non foret similiter securum, cum primum hominem, scilicet Adam inobedientia culpabilem merito condemnauit. Angelus insufficientis, homo deficiens; vnus imbellis, alter imbecillus. Conuenienter igitur procuratum est, vt homo hominem adiutus numinis adminiculo a diaboli faucibus liberaret, ne tam arduum, tam nobile commercium vacillaret, imo potius irrefragabilius finem prosperum sortiretur: & ordo

*Ion. 1.*

*Psal. 39.  
Hebr. 10.*

Cur angelum non  
assumpserit  
Deus.

angelicus, qui per lapsum Luciferi & suorum compli-  
cum fuerat mutilatus, feliciter restauraretur. Magna igitur, & omni laude dignissima fuit mater & virgo Ma-  
ria beatissima, quæ tantum Dei & hominis mundo edi-  
dit mediatorem, & nostrum parere meruit Salvatorem:  
quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres, nec pri-  
mam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Con-  
cepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc mi-  
gravit sine corruptione, iuxta verbum angeli; imo Dei per  
angelum, ut plena, non semiplena gratiæ esse probare-  
tur: & Deus Filius eius antiquum, quod pridem docuit,  
mandatum fideliter adimpleret, videlicet patrem & ma-  
trem honore præuenire: & ne caro Christi virginea, qua  
de carne matris virginis assumpta fuerat, a tota discre-  
paret. A prædictis igitur Christianæ fidei capitibus vene-  
rabile surgit in celsa culmina fundamentum. Hæc est ca-  
tholicæ religionis scala, per quam homini datur ascende-  
re ad æternæ patriam claritatis. Si ergo habes in deside-  
rio de tenebris prodire in lucem, amplecti saluberrimam  
Christi legem, Christianæ conuersationis primitias ba-  
ptismali lauacro necesse est consecrari: quatenus depo-  
sita in aquis regenerationis peccati vetustate, in nouam  
animæ innocentiam & vitæ infantiam renasceris, ut il-  
lius gloriæ cælestis particeps efficiaris, quam auris non  
audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit:  
tam copiosa, ut non possit annullari; magna, ut non pos-  
sit comprehendere; multa, ut non possit numerari; pre-  
ciosa, ut non possit æstimari; diuturna, ut non possit ter-  
minari, quam repromisit Deus diligentibus se, & sua se-  
quentibus vestigia pedetentim. Vale, & viue; & viuat  
in te Christus.

Laudes  
beatæ Ma-  
riæ virgi-  
nis.

Inhibet illi ne coronet filium regis, cum id debeatur  
Cantuariensi.

*Alexander seruus seruorum Dei, &c.*

**Q**VONIAM ad audientiam nostram multorum iampridem relatione peruenit, quod coronatio regum Angliæ & inunctio ad Cantuariensem archiepiscopum de antiqua ecclesiæ suæ consuetudine & dignitate pertineat, fraternitati vestræ præsentibus literis auctoritate apostolica districtius inhibemus, vt si illustris rex Anglorum filium suum, dum venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis archiepiscopus in exilio fuerit, coronari voluerit, & in regem inungi, nullus vestrum ei manum imponere præsumat, aut se exinde aliquatenus intromittere audeat. Quod si quis vestrum attentare præsumperit, id in periculum officii & ordinis sui nouerit procul dubio grauiter redundare. In his vero appellationis remedium volumus denegari, & omnem malignandi occasionem excludi. Datum apud Cifuinarium quarto Kalendas Martii.

Propter coronationem Henrici a diuinis  
suspenditur, &c.

*Alexander seruus seruorum Dei, &c.*

**C**VM filium suum rex vester coronari voluerit, contempto Thoma Cantuariensi archiepiscopo, ad cuius officium de antiquo iure dignoscitur pertinere, per manum tuam, frater archiepiscopo in aliena prouincia diadema regni ei fecit imponi. In coronatione vero illius, nulla ex more de conseruanda ecclesiæ libertate cautio  
iura-



iuratoria est præstita, nec (sicut aiunt) a vobis exacta: sed potius iuramento asseritur confirmatum, vt regni consuetudines iniquæ, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibata debeant omni tempore conseruari. In quo etsi multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de vestra & aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequenti. Et si forte hoc licere tibi, frater archiepiscopo, in propria potuisset prouincia, quomodo tamen in aliena & illius præcipue qui exulare pro iustitia & solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire. Vnde & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adiecistis sumere scutum fidei, vt staretis pro domo Domini in die prælii. Ne autem, si diutius tacuerimus, vna vobiscum in die iudicii damnationis sententia inuoluamur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos officio episcopalis suspendimus dignitatis.

## EPISTOLA XXXV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GILBERTVM EPISCOPVM LONDONIENSEM.

*Alexander seruus seruatorum Dei, &c.*

**Q**VÆ causa venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum, & sedis apostolicæ legatum, a sua sede exulare compulerit, non oportet præsentibus annotare: quoniam & vos præsentialiter aspexistis, & id per totam fere occidentalem ecclesiam fama celebris diuulgauit. Cum autem piæ memoriæ Theodaldus Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor huius archiepiscopi, Anglorum regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis ecclesia quasi possessionem huius dignitatis habuerit, vos nunc noui regis coronationi, archiepiscopo non præmonito, in eius prouincia ministerium præbere (litteris apostolicis id prohibentibus) præsumpsistis: & qui releuare eius exilium qualibuscumque solatiis

*Concil. Tom. 27.*

O o

debuistis, aggrauastis potius causam eius, & super dolorem vulnerum eius (quod mœrentes dicimus) addidistis. In quo facto, si contra personas vestras, non quantum culpa exigit, moueamur, pertransire tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod Dominus auertat, & nos & vos sententiæ diuinæ seueritatis addicat, si ea quæ in ecclesiis omnium perperam acta sunt neglexerimus vindicare. Noueritis itaque vos tamdiu ab episcopali officio commissa nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis, nisi præfato archiepiscopo ita satisfacere curaueritis, vt pœnam istam ipse iudicet relaxandam.

## EPISTOLA XXXVI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM EPISCOPVM SENONENSEM  
APOSTOLICÆ SEDIS LEGATVM.

Purgat calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londoniensem episcopum absolutum esse.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio Vvilielmo episcopo Senonensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.*

**L**ITERAS quas nobis super negotio venerabilis fratris nostri Cantuariensis archiepiscopi deuotio tua transmisit, gratanter admisimus, & eas diligenter curauimus ac studiose audire. Verum quoniam Londoniensis episcopus ad nos nequaquam accessit, nihil de causa sua statuimus. Sed si ad nos venisset, nos iam dicto archiepiscopo, Cantuariensi videlicet, quantum salua conscientia nostra fieri posset, suam iustitiam studeremus conseruare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei iam ex parte, nec non & carissimo in Christo filio nostro Ludouico illustri Francorum regi, (sicut tibi viua voce iniunximus) satis credimus innotuisse. Nos enim nihil inde post discessum tuum mutauimus, nec in posterum duximus immutandum, licet præfatus Anglorum rex nos exinde per consules Lombardia, qui vna cum nuntio coram nobis præsentem erant, nec non & per nuntios carissimi in Christo filii nostri Manuëlis illustris Constantinopolitani imperatoris instantissime

solicicaret, vt ei tempus deberemus aliquantulum prolongare. Et quoniam ipsius archiepiscopi causam nostram & ecclesiæ reputamus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus venerabiles fratres nostros Rothomagensem archiepiscopum & Niuernensem episcopum super diligenti ac festinanti executione præcepti nostri studiose commoneas, & viua voce vel literis, si vtrumque non poteris præsentem habere, instantius exhorteris. Quod si adhuc in negotio illo nullatenus processerunt, tu ipsos ex parte nostra durius increpes, & grauius redarguere non omittas. Si autem eos in prælibati regis terram sententiam interdicti iuxta præceptum nostrum proferre contigerit, tu eam per eiusdem regis terram, quam in tua prouincia habere dignoscitur, omni excusatione & appellatione remota, firmam & inconcussam obserues, & ab omnibus facias, quantum in te est, irrefragabiliter obseruari.

## EPISTOLA XXXVII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Alteram calumniam, qua dicebatur mandato pontificis filium regis ab Eboracensi archiepiscopo coronatum esse, diluit.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio, &c.*

**V**IRTUTIS & fidei constantiam & fortitudinis animum, quem pro libertate ecclesiæ tuæ conseruanda induisse cognosceris, studiosius attendentes, tibi tamquam fratri carissimo, super his quæ ad conseruationem & augmentum ecclesiæ tuæ spectare noscuntur, libenti animo consilium & auxilium impendimus, & contra eos, qui iura & dignitatem eiusdem ecclesiæ minuere vel perturbare nituntur, apostolicæ tuitionis præsidium diligenti studio volumus ministrare. Audiuius autem & certa relatione comperimus, quod Eboracensis archiepiscopus contra prohibitionem & interdictum nostrum Henrico filio illustris Anglorum regis in prouincia tua coronam imposuit. Quia vero ex hoc iuri & dignitati ecclesiæ tuæ immoderate asseris & enormiter derogatum, nos in hac parte tam

*Concil. Tom. 27.*

Oo ij

tibi quam ecclesiæ prouidere volentes, auctoritate apostolica statuimus, vt factum prædicti archiepiscopi vobis nulla ratione præiudicium possit in posterum generare, quo minus ius coronationis & inunctionis regum Angliæ possessionaliter habeatis, sicut antecessores tui & eadem ecclesiæ a quadraginta annis retro habuisse noscuntur.

## EPISTOLA XXXVIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPVM  
ET HVGONEM DVNELMENSEM EPISCOPVM.

De prædicta coronatione.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Rogero Eboracensi archiepiscopo, & Hugoni Dunelmensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.*

*Ezech. 3.*

**L**ICET commendabiles & grati nobis in plurimis existatis, & sinceræ vos completamur brachiis caritatis, propter hoc tamen non debemus omittere, quin ea quæ perpetrata & incorrecta generant mortem & requiramus in vobis, & zelo rectitudinis corrigamus: dicente Domino per prophetam: *Si loquente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris; ipse quidem in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Depressio siquidem Anglicanæ ecclesiæ, & diminutio libertatis illius, quæ per regem vestrum, siue proprio motu, siue potius alius, aliis suggerentibus, facta dignoscitur, plurimum iam pridem animum nostrum afflixit, & non modicum nobis sollicitudinis & doloris ingessit. Cum enim oportuerit eum de corrigendis his, quæ ab antecessoribus suis male commissa fuerant, cogitare, ipse potius præuaricationibus præuaricationes adiiciens tam iniqua constituta sub regis dignitatis obtentu & posuit & firmavit, sub quibus & libertas perit ecclesiæ, & apostolicorum virorum statuta, quantum in eo est, suo robore vacuantur. Nec credidit debere sufficere, si sub eo diuinæ leges in regno Angliæ silentium & vacationem susciperent, nisi peccatum transmitteret ad heredes, & longo tempore faceret suum regnum sine ephod

& sine superhumerali federe. Inde fuit quod illas iniquas vsurpationes absque vlla exceptione vestro & aliorum fratrum & coepiscoporum vestrorum iuramento fecerit firmare, & plectendum iudicauit vt hostem, quicumque vellet ab iniquis illis constitutionibus dissentire. Indicat hoc venerabilis frater nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi exilium; demonstrat & hoc clericorum & confanguineorum eius, illorum etiam, qui adhuc pendentes ab vberibus matris vagiebant in cunis, miseranda proscriptio. Et metus mortis incutitur, si ad hoc cuiusquam animus erigatur, vt contra statuta illa diuinis velit legibus obedire. Nos ipsi, quorum iudicio præuaricationes illæ corrigendæ fuerant aut plectendæ, ad confirmationem illarum sub occasione temporis impacati multa fuimus instantia prouocati, & laboratum est exactione non modica, vt vsurpationibus illis, cum nondum nobis expressæ fuissent, auctoritatis conferremus apostolicæ confirmationem; & hoc quidem a principio.

Processu vero temporis, exulante pro debito pastoralis officii iam dicto archiepiscopo, & consuetum Romanæ ecclesiæ subsidium ab officio nostro sæpius requirente, misimus ad iam dictum regem de melioribus & maioribus fratribus nostris; misimus & alias ecclesiasticas personas, & putauimus quod duritia eius in nostra humilitate & mansuetudine frangeretur, & fieret quod Salomon dicit: *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis frangit iram.* Ipse vero sufferentiam nostram multiplici legatorum arte deludens, vsque adeo contra monita nostra videtur animum obdurasse, vt nec contra prænominatum archiepiscopum deferueat, nec de peruersis statutis illis quidquam minui patiatur: imo & ipsam Cantuariensem ecclesiam plurimo detrimento possessionum suarum afficiat, & in ipsam ecclesiastico ministerio antiqua spoliet dignitate. Nuper enim, cum filium suum coronari voluerit, contempto eodem archiepiscopo, ad cuius hoc officium de antiquo iure dicitur pertinere, per manum tuam, frater archiepiscope, ei in aliena prouincia diadema regni fecit imponi. In coronatione autem illius nulla ex more de conferuanda ecclesiæ libertate cautio est præstita, vel, sicut aiunt, exacta; sed iuramento potius asseritur confirmatum, vt

*Prov. 25.  
Ibid. 15.*

regni consuetudines, quas auitas dicunt, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatas debeat omni tempore conseruare. In quo etsi multum prænominati regis nos uehementia conturbat, amplius tamen de uestra & aliorum coepiscoporum uestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequenti. Etsi enim hoc tibi licere forte, frater archiepiscope, in propria prouincia potuisset, quomodo tamen hoc in prouincia aliena, & illius præcipue qui exulare pro iustitia & fere solus exire uoluit, & dare gloriam Deo, tibi licuit, nec de ratione possemus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire.

Quod si ad excusationem tantæ præuaricationis quifquam obiiciat, in aliis quoque regnis graui plurima & enormia perpetrari, in ueritate possumus respondere, quod nullum adhuc regnum in tantum diuinæ legis contemptum inuenimus corruisse, ut scriptis & iuramentis episcoporum tam manifestas enormitates fecerit communiri. Nisi quisquam illud impudenter alleget, quod schismatici postmodum a fidelium communionem præcisi inaudita & damnabili superbia commiserunt. *Hobacuc 1.* Unde quia iuxta uerbum prophetæ, *A uobis iudicium egressum est peruersum*, in uobis factum est peruersum. Quid ultra omnes alias prouincias in usurpationibus suis, & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adiecistis resumere scutum fidei, ut staretis pro domo Domini in die prælii, sed prostrauistis corpus uestrum in terram, ut per uos fieret uia transeunti? Et ne, si diutius tacuerimus, una uobiscum in die iudicii damnationis sententia inuoluamur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ, cui, auctore Domino, ministramus, ecclesiæ, ab omni officio episcopalis uos suspendimus dignitatis; sperantes quod sub disciplina saltem, & paterno uerbere constituti, redire tandem ad cor, & de tuenda debeatis ecclesiæ libertate satagere. Si uero nec sic zelum episcopalis officii resumpseritis, nos adhuc, auctore Domino, quod nobis imminet faciemus. Vos uidete, ne illud uobis dicatur, quod cuidam dictum per prophetam dicitur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Nos enim, quia lo-

*Osse 4.*

cum illius tenere (Deo, prout ipsi placuit, disponente) conspicimur qui a prædicatione verbi Dei nec verberibus poterat nec vinculis coerceri, non debemus sub ambigua expectatione pacis creditam nobis diuini verbi pecuniam in sudario reponere, & alligatam eam tamdiu conferuare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbe nos conueniat ratione.

## EPISTOLA XXXIX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD SENONENSEM ET ROTHOMAGENSEM  
EPISCOPOS.

Vt efficiant sub pœna censurarum compleri pacem  
quam rex Angliæ verbis promisit.

*Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Seno-  
nensi & Rothomagensi episcopis salutem &  
apostolicam benedictionem.*

**F**RATERNITATI vestræ per apostolica scripta præci-  
piendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipi-  
mus, quatenus infra viginti dies post harum susceptionem  
eundem regem ex parte nostra diligenter conueniatis,  
commonere propensius & exhortari curetis, vt pacem,  
quam cum eodem archiepiscopo verbo tenus fecit, execu-  
tione operis compleat. Nihil minus etiam eidem sugges-  
tatis, vt postmodum ablata omnia restituat, damna data re-  
farciat, prauas & execrabiles consuetudines omnino præ-  
cidat. Si autem intra triginta dies post commonitionem  
vestram, pacem quam statuit, & promisit, consummare  
noluerit, in tota terra eius cismarina omnia diuina, præter  
baptismata paruulorum, & pœnitentias morientium, re-  
moto appellationis obstaculo, prohibeatis officia celebra-  
ri, & sententiam ipsam vsque ad condignam satisfactio-  
nem faciatis inuiolabiliter obseruari. Quod si alter ve-  
strum, aliqua necessitate obstante, huius rei executioni  
non potuerit interesse, (quod tamen nollemus, nec expediret) alter non minus id quod dictum est exequatur.  
Datum Anagninæ septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA XL.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.De censura in regem ferenda , nisi plenam pacem  
cum restitutione possessionum præstet.*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & dilectionem apostolicam.*

**A**NXIETATE cordis & amaritudine premimur, cum angustias, onera, & grauamina, quæ zelo iustitiæ, & pro libertate ecclesiæ manutenenda, æquo animo & inuicta fortitudine tolerasti, ad memoriam nostram reducimur, & sedula meditatione cogitamus. Verumtamen quod in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuisti frangi in aduersis, nec a tuæ constantiæ proposito remoueri; tuam super hoc commendamus admirandam virtutem, & tibi super tanta patientia in Domino congaudemus. Ceterum, quoniam dilectum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem diutius in patientia & benignitate expectauimus, & blandis & dulcibus verbis, interdum duris & asperis, vt ad seipsum rediret, sæpe monuimus: si pacem, quam tecum fecit, executione operis non adimpleuerit, & tibi ac tuis & ecclesiæ tuæ possessiones & honores ablatos non restituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus in personas, & loca, quæ ad tuam legationem pertinent, excepta persona regis, vxoris quoque, & filiorum suorum, ecclesiasticam iustitiam, secundum officii tui debitum, nullius obstante appellationis obstaculo, exercendi; prudentia tamen & circumspectione adhibita, quam modestia sacerdotalis requirat. Datum Signiæ tertio Idus Octobris.

EPISTO-



EPISTOLA XLI.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM ANGLIÆ REGEM.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**OGNITO ex literis venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, quod ei, omni turbatione & rancore deposita, gratiam & amorem tuum restituisset, tanto lætitiâ & gaudio concepimus, quanto id Deo gratum & magis acceptum existere, & tibi amplius honorificum, & tuæ consideramus fructuosum saluti. Tanta enim eundem archiepiscopum religione, prudentia, & honestate, & fidei virtute præminere cognoscimus, quod ipsum tibi & regno tuo fidelem & deuotum existere, honori & incremento tuo pro viribus & posse & animo se intendere, & pro augmento gloriæ, & exaltationis tuæ fideliter & sollicitè vigilare non dubitamus. Ceterum, quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; & licet idem archiepiscopus pro patientia ac dilectione, quam erga te habet, hoc facere subitescat, nos tamen, qui salutem tuam summopere cupimus, id minime reticere debemus, nec tuam decet magnificentiam, quem Dominus ita magnum & potentem constituit, iura & bona Cantuariensis ecclesiæ retinere: regiæ serenitatis clementiam rogando moneamus, & exhortamur attentius, quatenus exemplo Zachari, de quo legitur in euangelio: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si aliquem defraudauit, reddo quadruplum:* prædicto archiepiscopo, & ecclesiæ suæ ablata restituere, damna & detrimenta, quæ illis intulisti, in breui studeas emendare, ut in eo quod deliquisti Deum sic possis placare, & nos tibi tantam offensam digne indulgere possimus, & idem archiepiscopus ad obsequium, & deuotionem tuam, ad augmentum honoris tui, & heredum tuorum debeat promptissimus inue-

*Concil. Tom. 27.*

PP

niri. Volentibus autem inter te & ipsum pacem reformari, benigno favore acquiescas. Quos vero huius diffensionis noueris hactenus fuisse incentores, de cetero non exaudias. Nihilominus & filium tuum super articulo iuramenti, quod prætermisit, de seruando iure & libertate Cantuariensis ecclesiæ, secundum quod reges & principes Angliæ fecisse noscuntur, eidem archiepiscopo & ecclesiæ suæ condigne satisfacere moneas, & horteris, & quod prætermisum est facias adimplere. Ordinationes quoque ecclesiarum, & alia, quæ ad viros ecclesiasticos pertinent, prædicto archiepiscopo, & aliis viris ecclesiasticis, tam tu quam filius tuus libere & pacifice relinquatis: vt sic agendo hostiam laudis Domino digne immolare possitis, & vobis regnum comparare æternum.

## EPISTOLA XLII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD BITVRICENSEM ARCHIEPISCOPVM,  
ET NIVERNENSEM EPISCOPVM.

Vt ipsi Londoniensem & Saresberiensem episcopos  
a Thoma excommunicatos absoluant.

*Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Bituricensi archiepiscopo, & Niuernensi episcopo, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**F**RATERNITATI vestræ non credimus esse incognitum, qualiter sanctæ recordationis Thomas, quondam Cantuariensis archiepiscopus, de mandato nostro in Londoniensem & Saresberiensem episcopum excommunicationis sententiam promulgauit: quam vtique nos ratam habentes & firmam, eam auctoritate apostolica curauimus confirmare. Quia vero prædicti episcopi senio & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præsentiam nostram venire non possunt, vobis, de quorum prudentia & honestate confidimus, absolutionem eorum, pro qua nuntii Henrici regis Angliæ & eorundem episcoporum apud nos vehementius institerunt, duximus committendam. Ideoque fraternitati ve-

fræ per apostolica scripta mandamus, quatenus infra mensem, postquam iidem nuntii ad propria redierint, de aduentu legatorum nostrorum, quos ad partes illas pro cognoscenda atrocitate illius facinoris & sceleris, quod perpetratum est, & reconciliatione regis, disposuimus transmittere, quod transalpinauerint vobis non innotuerit: eos publice, recepto iuramento secundum morem ecclesiæ, quod nostro debeant astare mandato, ab excommunicationis vinculo absoluatis, sententia suspensionis ob eam causam, qua fuerant ultimo in excommunicationem deducti, in suo robore permanente. Si autem vobis constiterit, quod Saresberiensis episcopus morbo laborans ad vos venire non possit, illuc in propria persona, quod nobis placeret, accedatis: aut si accedere non poteritis, personas idoneas, de quibus nos & vos confidere valeamus, transmittatis, quæ illum, recepto iuramento publice in conspectu ecclesiæ, quod nostro debeat parere mandato, absoluant. Si autem huic rei, frater archiepiscopus, interesse non poteris, tu, frater episcopus, ipse cum Pontiniacensi abbate quæ dicta sunt diligentius exequaris. Data Tusculani octauo Kalendas Maii.

## EPISTOLA XLIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD MONACHOS CANTVARIENSIS ECCLESIE.

De canonizatione sancti Thomæ Cantuariensis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Priori  
& monachis Cantuariensis ecclesiæ salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**G**AVDENDVM est vniuersitati fidelium de mirabilibus illius sancti & reuerendi viri Thomæ archiepiscopi vestri. Sed vos exinde tanto ampliori gaudio & exultatione debetis repleri, quanto ipsius miracula oculata fide sapius intuemini, & eius sanctissimo corpore ecclesia vestra specialius meruit illustrari. Nos autem considerata gloria meritorum eius, quibus in vita sua magnanimitate claruit, & de miraculis eius non solum communi &

*Concil. Tom. 27.*

Pp ij

celebri fama, sed & dilectorum \* filiorum nostrorum Alberti, tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodini tituli sancti Vitalis, presbyterorum cardinalium, apostolicæ sedis legatorum, & aliarum plurium personarum testimonio certitudinem plenam habentes præfatum archiepiscopum in capite ieiunii, multitudine clericorum & laicorum præfente, in ecclesia, deliberato cum fratribus nostris consilio, solenniter canonizauimus; eumque decreuimus sanctorum martyrum collegio annumerandum: vobis & vniuersitati fidelium de Anglia apostolica auctoritate mandantes, vt natalem eius diem, quo vitam suam gloriosa passione finiuit, annis singulis cum debita ueneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimum expedit, vt sanctum corpus eius cum ea, quæ decet, reuerentia & honore condatur; discretioni vestre apostolica auctoritate mandamus, quatenus corpus eius, deuote & reuerenter, facta solenni processione, aliquo solenni die, congregato clero & populo, in altari honorifice recondatis: aut ipsum in aliqua decenti capsâ ponentes, prout conuenit, eleuetis in altum; & patrocinium eius pro salute fidelium & pace vniuersalis ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. Valete. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

EPISTOLA XLIV.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD OMNES FIDELES.

*De canonizatione eiusdem.*

**R**EDOLET Anglia fragrantia & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerandi viri Thomæ quondam Cantuariensis archiepiscopi omnipotens Deus operatur, & vniuersa vbique lætatur fidelium Christiana religio, pro eo quod ille, qui est mirabilis & gloriosus in sanctis, sanctum suum post mortem clarificauit, cuius vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamuis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui eius & laudabilem conuersationem attendit, & gloriosam considerat passionem, voluit tamen Redemptor atque Salua-

tor noster eius sanctitatis insignia magnificis radiare miraculis : vt qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates & pericula pertulit, sui laboris & certaminis in aeterna beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Nos vero auditis innumeris & magnis miraculis, quæ iugiter per sancti illius viri merita fieri vniuersitas narrat fidelium, & super his non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinum tituli sancti Vitalis, presbyteros cardinales, atque apostolicæ sedis legatos, qui eadem miracula tanto perspicacius didicerunt, quanto amplius sunt loco vicini, præcipue certiores effecti, & plurium aliarum personarum testimonio fidem sicut debuimus, adhibentes, prædictum archiepiscopum solenniter in ecclesia, magno ibidem clericorum & laicorum collegio præsentem, in capite ieiunii, deliberato fratrum nostrorum consilio canonizauimus, ipsumque decreuimus sanctorum catalogo adscribendum. Vniuersitatem itaque vestram monemus, & auctoritate qua fungimur districte præcipimus, vt natalem prædicti gloriosi martyris diem passionis suæ solenniter annis singulis celebretis, & apud ipsum votiuis orationibus satagatis veniam promereri : vt qui pro Christi in vita exilium, & in morte virtute constantiæ passionis martyrium pertulit, fidelium iugi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ quarto Idus Martii.

EPISTOLÆ XLV. XLVI. & XLVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD PETRVM CASSINATEM, AD CANTVARIENSEM,  
ET AD EBORACENSEM EPISCOPOS.

De rebus Venetiis gestis.

*Extant infra in actis Concilii Venetici.*

Commendat illi Philippum fidei prædicatorem.

*Alexander episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri & magnifico Indorum regi, sacerdotum sanctissimo, salutem & apostolicam benedictionem.*

*Matth. 16.*

*Ibidem.*

**A**POSTOLICA sedes, cui licet immeriti præsidemus, omnium in Christo credentium caput est & magistra, Domino attestante, qui ait beato Petro, cui licet indigni successimus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Hanc siquidem petram Christus esse voluit in ecclesiæ fundamentum, quam præconat nullis ventorum turbinibus nullisque tempestatibus quatiendam. Et ideo non immerito beatus Petrus, super quem fundavit ecclesiam, ligandi atque soluendi specialiter & præcipue inter apostolos alios meruit accipere potestatem. Cui dictum est a Domino: *Tibi dabo claves regni cælorum: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Audiueramus utique iampridem, referentibus multis, & in fama communi, quomodo cum sis Christianum nomen professus, piis velis operibus indefinenter intendere, & circa ea tuum animum geras quæ Deo grata sunt & accepta. Sed & dilectus filius magister Philippus medicus & familiaris noster, qui de intentione pia & proposito tuo cum magnis & honorabilibus viris regni tui se in partibus illis verbum habuisse proponit, sicut vir prouidus & discretus, circumspectus & prudens, constanter nobis & solícite retulit, se manifestius ab his audisse, quod tuæ voluntatis sit & propositi, erudiri catholica & apostolica disciplina; & ad hoc feruenter intendas, vt tu & terra tuæ sublimitati commissa nihil vnquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina sedis apostolicæ dissentiat modo quolibet vel discordet. Super quo sane tibi sicut carissimo filio

plurimum congaudemus, & ei, a quo omne donum procedit, immensas gratiarum exoluimus actiones: vota votis, & preces precibus adiungentes, vt qui dedit tibi nomen Christianitatis suscipere, menti tuæ per suam ineffabilem pietatem inspiret, quod omnino velis sapere, quæ super omnibus articulis fidei tenere debet religio Christiana. Non enim vere potest de Christiana professione sperare salutem, qui eidem professioni verbo & opere non concordat: quia non sufficit cuiuslibet nomine Christiano cense-  
\* addit, & facit
 ri, qui de se sentit <sup>\*</sup> aliud, quam catholica & apostolica habeat disciplina, iuxta illud quod Dominus in euangelio dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Matt. 7.

Illud autem nihilo minus ad commendationem tuæ virtutis accedit, quod sicut prudens magister Philippus se a tuis asserit audisse, feruenti desiderio cuperes in Vrbe habere ecclesiam, & Hierosolymitanum altare aliquod, vbi viri prudentes de regno tuo manere possent, & apostolica plenius instrui disciplina; per quos postmodum tu & homines regni tui doctrinam ipsam reciperent & tenerent. Nos autem, qui licet insufficientibus meritis in beati Petri cathedra positi, iuxta Apostolum, sapientibus & insipientibus, diuitibus & pauperibus, nos recognoscimus debitores, de salute tua & tuorum omnimodam sollicitudinem gerimus; & vos ab his articulis, in quibus erratis a Christiana & catholica fide, prompto animo, prout tenemur ex suscepti ministerio regiminis, volumus reuocare. Cum ipse Dominus beato Petro, quem omnium apostolorum principem fecit, dixit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Rom. 1. Luc. 22. Licet autem graue nimis videatur & laboriosum existere, ad præsentiam tuam inter tot labores, & varia itineris & locorum discrimina, & inter longas & ignotas oras quemlibet a nostro latere destinare; considerato tamen officii nostri debito, & tuo proposito & intentione pensata, præfatum Philippum medicum & familiarem nostrum, virum vtique discretum, circumspectum & prouidum, ad tuam magnitudinem mittimus; de Iesu Christi misericordia confidentes, quod si volueris in eo proposito & intentione persistere, quam te inspirante Do-

mino, intelligimus concepisse : de articulis Christianæ fidei, in quibus tu & tui a nobis discordare videmini, in proximo per Dei misericordiam eruditus nihil prorsus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum salutem præpediat, vel in vobis nomen Christianitatis offuscet.

Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino, quatenus eundem Philippum pro reuerentia beati Petri & nostra, sicut virum honestum, discretum, & prouidum, & a nostro latere destinatum, debita benignitate recipias, & reuerenter ac deuote pertractes. Et si tuæ voluntatis est & propositi, sicut omnino decet esse, vt erudiaris apostolica disciplina super his quæ idem Philippus ex nostra tibi parte proponet; ipsum diligenter audias, & exaudias, & personas honestas, & literas tuo sigillo sigillatas, quibus propositum & voluntatem tuam possumus plene cognoscere, ad nos cum ipso transmittas. Quia quanto sublimior & maior habebis, & minus de diuitiis & potentia tua videris inflatus, tanto libentius tam de concessione ecclesiæ in Vrbe, quam etiam de conferendis altaribus in ecclesia beati Petri & Pauli, & Ierosolymis in ecclesia Sepulcri Domini, & in aliis quæ iuste quæsieris, tuas curabimus petitiones admittere, & efficacius exaudire; vtpote, qui desiderium tuum super hoc, quod multa commendatione dignum extitit, modis omnibus, quibus secundum Deum possumus, volumus promouere, & tuam & tuorum animas desideramus Domino lucrifacere. Data Venetiæ in Riualto quinto Kalendas Octobris.

## EPISTOLA XLIX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HUGONEM.

De prædicto libro ad se missio gratias agit: eique conuersionem imperatoris Constantinopolitani commendat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio magistro Hugoni salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**OGNOSCENTES laborem plurimum, quem sustinisti in componendo libro, quem nobis per dilectum filium



filium nostrum magistrum Cacciaredum misisti; attendentes quoque fructum, quem exinde speramus ecclesiæ Dei prouenturum: librum ipsum grata & læta manu recepimus, & deuotæ sollicitudini & liberalitati tuæ vberri-  
 mas propter hoc gratiarum referimus actiones, desiderium, & voluntatem habentes, te, quem hæctenus relatione nostrorum, qui a partibus Constantinopolis reuertebantur, carum habebamus, de cetero feruentius diligendi, & multo cariorem habendi, & sincerius amplexandi. Rogamus autem prudentiam tuam, soliciteque mone-  
 mus, vt sicut pro Deo & pro deuotione ecclesiæ præscriptum librum composuisti, ita quoque carissimum in Christo filium nostrum illustrem & gloriosum Constantinopolitanum imperatorem ad deuotionem & reuerentiam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ exhibendam, & ad vnitatem ipsius diligentius prouoces, monitis & exhortatione inducas, vt, sicut esse debet, vnum fiat ouile, & pastor vnus.  
 Data Troiæ Idibus Nouembris.

## EPISTOLA L.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES EPISCOPOS.

Eos ad Concilium generale Lateranense conuocat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei, &c.*

**Q**VONIAM in agro Domini, &c. *Extat infra in Concilio Lateranensi generali, anno 1179.*

## EPISTOLA LI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ARCHIEPISCOPVM  
SENONENSEM.Contra Petrum Lombardum, dicentem Christum,  
vt est homo, non esse aliquid.

**C**VM in nostra olim esses præsentia, &c. *Extat infra in Actis Concilii Lateranensis generalis, anno 1179.*

Coloniensis ecclesiæ iura ac priuilegia confirmantur.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo, Coloniensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuam memoriam.*

**E**TSI teneamur omnibus & fratribus coepiscopis nostris ex administratione suscepti regiminis apostolicum patrocinium exhibere; his tamen specialiter adesse compellimur, qui sicut dignitate, ita præminent & virtute: cum nostræ sollicitudinis debeat & circumspeditionis existere, vt vniuersos iuxta qualitates personarum & merita respicere videamur. Eapropter, venerabilis in Christo frater archiepiscope, prudentiam & deuotionem tuam diligentius attendentes, & tuis petitionibus nostrum facile præbentes assensum, Coloniensem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus: statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem ecclesia impræsentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Præterea tua, frater archiepiscope, prudentia & deuotione pensata, confirmamus tibi ea, quæ in priuilegiis patrum & prædecessorum nostrorum habentur; videlicet crucem & pallium, suo tempore suoque loco ferendum. Insigne quoque festiui equi, quod a quibusdam vulgo naccum vocatur. Concedimus etiam, & apostolica auctoritate statuimus, vt maius altare ecclesiæ tuæ vni & vero Deo, in memoriam beate Mariæ virginis, & alterum in memoriam beati Petri apostolorum principis dedicatum, reuerenter ministrando procurent septem canonici cardinales presbyteri, induti dal-

maticis & mitris ornati: quibus etiam, cum totidem diaconibus & subdiaconibus, ad hoc ministerium prudenter electis, ut utantur sandalibus, indulgemus, sicut a patribus & prædecessoribus nostris id prædictæ ecclesiæ concessum est per authentica priuilegia, & hæcenus obseruatum. Insuper etiam auctoritatem & honorem, quem ecclesia tua hæcenus habuisse dignoscitur, apostolici fauoris patrocínio confirmamus; videlicet ut, si quando Synodus infra tuam dioccesim a Romano pontifice, aut a legato ab eius latere destinato, fuerit congregata, priorem locum post ipsum Coloniensis archiepiscopus in Synodo teneat, & in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat; ita tamen, ut, sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam prior polleat honestate vitæ, & gratia meritorum; & cuius annuntiauerit verba, imitetur exempla. Consecrationem quoque regum infra limites tuæ diocesis fiendam, præsentis scripti auctoritate censemus; & ut electio archiepiscopi secundum statuta Canonum a filiis præscriptæ ecclesiæ celebretur, per huius scripti paginam duximus statuendum. Ad hæc monasteria, ecclesias Coloniae positas, & omnia sacra loca, infra & circa urbem Coloniae, ad iurisdictionem Coloniensis ecclesiæ pertinentia; monetam prædictæ ciuitatis, telonium, forum, & omne ius ciuile, sub potestate tua & successorum tuorum; abbatias per diuersa loca, villas, vicos, & castella, cum omnibus eorum pertinentiis, seruis videlicet, ancillis, terris cultis & incultis, aquis, pratis, campis, siluis, forestis; nec non etiam comitia in Vvestphalia, quæ vulgariter Gograrhophe dicuntur, & alodia, Dulberg, Hachen, Marchan, Vvasenberg, sicut hæc omnia rationabiliter possides, tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Illud quoque statuimus, ut, sicut nullus coarchiepiscoporum tuorum est tibi subiectus, ita etiam tu sub nullo primatu debeas esse: salua tamen nobis in te, sicut in ceteris archiepiscopis, subiectione, quæ apostolicæ auctoritati debetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, nec ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: sed omnia integra con-

feruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, vñibus omnimodis profutura; salua in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertiove commonita, nisi satisfactione congrua id emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine diuinæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Alexander Papa III.

*Vias tuas Domine demonstra mihi.*

Ego Ioannes presbyter cardinalis sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachii.

Ego Boso presbyter cardinalis sanctæ Pudencianæ tituli Pastoris.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ.

Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Hubaldus Ostiensis episcopus.

Ego Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Arditio diaconus cardinalis sancti Theodori.

Ego Cynthius diaconus cardinalis sancti Hadriani.

Ego Hugo diaconus cardinalis sancti Angeli.

Datum Laterani per manum Alberti, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, decimotertio Kalendas Iulii, indictione vñdecima, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo septuagesimo nono, pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno decimonono.

## EPISTOLA LIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CLERICOS ALEXANDRINÆ ECCLESIAE.

De nouo episcopo ipsis concessio vel aliunde translato.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis clericis  
Alexandrinae ecclesiae salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**D**E nouitate & necessitate processit, quod praesente nuntio Mediolanensis ecclesiae, nulla praecedente electione, auctoritate nostra vobis & ecclesiae vestrae electum prouidimus. Et ideo, ne possit ex hoc vobis vel successoribus vestris prauiudicium fieri, auctoritate vobis apostolica duximus prouidendum. Eapropter, dilecti in Domino filii, praesenti scripto statuimus, vt ex hoc vobis non prauiudicetur in posterum, quo minus, obeunte electo qui nunc est, & suorum quolibet successorum, vos & successores vestri de episcopis vestris electionem liberam habeatis, sicut canonici ecclesiarum cathedralium, quae Mediolanensi ecclesiae subiacent, habere noscuntur. Nullo ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Anagninae III. Kalendas Februarii.

Ego Otto notarius sacri palatii authenticum huius instrumenti vidi, & vt in illo reperi, ita in hoc scripsi, nihil addens, aut minuens, praeter punctum, literam, & syllabam, &c.

Ego Petrus, qui dicor Ferrarius, notarius sacri palatii authenticum instrumenti vidi, & legi, & subscripsi, &c.

EPISTOLA LIV.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD EOSDEM.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis O. electo,  
& canonicis Alexandrinæ ecclesiæ, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

CONGRUVAM officii nostri actionem \* exequen. cum \* f. ex-  
 ea quæ ad ornatum & decorem domus Domini lau-  
 dabili prouidentia statuuntur, per nos incrementum ac-  
 cipiunt, & apostolicæ tuitionis præsidio in suæ firmitatis  
 robore conualescunt. Eapropter, dilecti in Domino filii,  
 vestris iustis postulationibus benignius annuentes, cano-  
 nicam, quam sibi \* electe in ecclesia sancti Petri de assensu \* f. electo  
 cleri & populi statuisti, protectionis nostræ munimine  
 roborantes; & electionem, quam de personis idoneis ad  
 dignitates ecclesiæ tenendas fecisti, dilectis filiis nostris  
 magistro Hugoni præposituram, magistro Cataldo archi-  
 presbyteratum, magistro P. cantoriam, prouida delibera-  
 tione concedentes ratam habemus. Etiam singulis prædi-  
 ctas dignitates auctoritate apostolica confirmamus. Præ-  
 terea ecclesias vsibus vestris, filii canonici, deputatas, scili-  
 cet sanctæ Mariæ de Gamundio, sancti Dalmatii de Ma-  
 ringo, sancti Michaelis de Soleriis, sancti Stephani de  
 Bergolio, sanctæ Trinitatis de Vvilia, sancti Andreae de  
 Rouerteo, & sancti Augustini de Foro, vobis nihilo mi-  
 nus duximus præsentibus literis confirmandas; statuen-  
 tes, vt nulli omnino homini liceat hanc paginam nostræ  
 confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare  
 præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & bea-  
 torum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incur-  
 surum. Datum Tusculani decimoquinto Kalendas Au-  
 gusti.

Ego Otto notarius sacri palatii authenticum huius bullæ  
 domini Alexandri papæ bullatum vidi, & legi, & sicut in  
 illo reperi, ita in hoc scripsi, nihil addens, vel minuens, aut  
 mutans, præter punctum, literam, & syllabam.

Ego Vermus notarius sacri palatii authenticum huius bullæ vidi, & legi, & subscripsi, &c.

## EPISTOLA LV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

## AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Confirmat sententiam legati apostolici, qua ille Ioannem legitime electum confirmavit, & Hugonem a rege in episcopatum sancti Andreae intrusum deposuit.

*Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus uniuersis episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, per Scotiam constitutis, priori, canonicis, clero & populo sancti Andreae, salutem & apostolicam benedictionem.*

COMPERTO nobis, quod iam pridem venerabilis frater noster Ioannes, nunc episcopus sancti Andreae, canonicè fuisset electus, & post electionem suam Hugo (appellatione interposita) in ecclesia illa per potentiam laicalem intrusus consecrari ausu temerario præsumpisset, electionem ipsius apostolica auctoritate cassantes, dilectum filium nostrum Alexium subdiaconum nostrum, sedis apostolicæ legatum, de electione præfati Ioannis cogniturum, ad partes vestras direximus. Qui cum mature fatis, sicut per multorum testimonia nobis innotuit, & canonicè processisset, electionem ipsius canonicam comperiens, post multiplices inducias, in quibus regis magnitudini detulit, auctoritate apostolica confirmavit; præcipiens omnibus, qui ad ecclesiam sancti Andreae pertinerent, ex parte nostra, ut ipsi Ioanni sicut electo obedientiam & reuerentiam exhiberent. Vnde, cum nullus propter metum regium in manifesto obedire auderet, idem legatus non regnum, sicut de iure poterat, sed episcopatum interdicto subiecit.

Cum igitur tam ecclesiastici quam sæculares principes a carissimo in Christo filio nostro Vvilielmo illustri Scottorum rege districtius adiurati fuissent de recto consilio dando, firmiter promittente ipso rege quod eorum confi-

lio stare: responderunt omnes tamquam vnus, vt præfati Ioannis consecrationem, coram legato nostro & quatuor episcopis (quinto ægrotante, sed scripto consentiente) celebratam, vltcrius non turbaret, sed permetteret eum in pace in sua sede consecrari. Inde est, quod vniuersitati vestrae per apostolica scripta mandamus, atque sub officii & beneficii pœna præcipimus, quatenus Spiritum fortitudinis induentes, ipsum episcopum infra octo dies post harum susceptionem literarum honorifice, appellatione postposita, ad sedem suam reducatis, & pro seruanda ecclesiastica iustitia prudenter & viriliter laboretis, & ad placandum motum regium adhibeatis operam diligentem: atque præfato episcopo omnem exhibeatis reuerentiam, & honorem, quem ipsius prædecessoribus impendistis. Quod si rex aliud voluerit, aut etiam consilio prauorum inclinatus fuerit, Deo & sanctæ Romanæ ecclesiæ magis oportet obedire quam hominibus. Alioquin sententiam, quam venerabilis frater noster Hugo Dunelmensis episcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo ratam habebimus, & præcipiemus firmiter obseruari.

## EPISTOLA LVI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

## AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Hugonis in episcopatum sancti Andree intrusi excommunicationem confirmat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus & dilectis filiis ecclesiarum prælatis per Scotiam constitutis salutem & apostolicam benedictionem.*

**R**ELATVM est nobis, quod cum Hugo, qui ecclesiam sancti Andree de Scotia inuaserat, capellam episcopalem, baculum & annulum, & cetera, quæ irrationabiliter asportauerat, illicite detineret: eum frequentius admonitum resipiscere contemnentem dilectus filius noster Alexius subdiaconus noster, apostolicæ sedis legatus, coram vobis, & clero multo, & populo, nisi infra quindecim dies ablata vel asportata redderet, vel congrue satisfaceret, vinculo excommunicationis, apostolica auctoritate  
fretus,



fretus, astrinxit. Ipse tamen in arrogantia malo perdurans, in nullo præfati legati monitis acquieuit. Nos itaque sententiam de auctoritate nostra prolatam ratam habentes, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Hugonem, Dei gratia freti, & omni timore postposito, publice, nullius appellatione obstante, vinculo denuntietis excommunicationis astrictum, & sicut excommunicatum attentius euitetis, donec quæ de supradictis rebus abstulit, vel æstimationem fratri nostro Ioanni episcopo sancti Andree, & ecclesiæ suæ restituat, & de aliis quæ destruxit satisfactionem exhibeat congruentem.

## EPISTOLA LVII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTIÆ.

Mandat ei vt Ioannem legitime electum & confirmatum sancti Andree episcopum patiatur suo officio quiete fungi, alioquin regnum interdicto, regem excommunicatione plectendum.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo illustri Scotorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**P**RO pace tua & libertate sollicitè nos meminimus laborasse, sperantes quod ex hoc in deuotione sedis apostolicæ melius firmareris, & cresceres, & libentius seruares ecclesiasticam libertatem. Ceterum attendentes circa factum venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi sancti Andree de Scotia, quod nolueris vsque modo inclinari: contrarium spei, quam de feruore deuotionis regiæ habebamus, cogimur æstimare. Volentes tamen experiri adhuc si patientia nostra ad pœnitentiam regium motum adducat, magnitudinem tuam per apostolica scripta monemus attentius, & mandamus, quatenus memorato episcopo infra viginti dies post harum susceptionem literarum pacem & securitatem largiaris; ita quod non oporteat eum de indignatione regia dubitare. Alioquin noueris, nos venerabili fratri nostro Rogero Eboracensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato in Scotia mandasse, vt regnum tuum,

*Concil. Tom. 27.*

Rr

nullius appellatione obstante, subiiciat interdicto, excommunicationis sententiam in personam tuam, si desistere nolueris, prolaturus. Pro certo quoque teneas, quod si in tua duxeris violentia perdurandum, sicut laborauimus ut regnum tuum libertatem haberet, sic dabimus studium ut in pristinam subiectionem reuertatur.

## EPISTOLA LVIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD CASIMIRVM DVCEM POLONIÆ.

Nonnullas constitutiones circa bona ecclesiæ editas confirmat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio nobili viro Casimiro duci Poloniæ salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**x parte tuæ magnitudinis relatum est nobis, quod de consilio archiepiscopi, & episcoporum Poloniæ, & principum terræ, quasdam abusiones, & solitas iniurias ab ecclesiis & personis ecclesiasticis amputasti, constituens ne bona decedentium episcoporum amplius confiscarentur. Constitutum est etiam, ut si quispiam in res defuncti episcopi manus coniecerit, vinculo anathematis teneatur. Nec præsumat vllus raptorum defuncto episcopo succedere, donec absolutionis beneficium assequatur, ablatis restitutis, vel ablatorum congrua æstimatione præmissa; consuetudinem autem, quæ a principibus terræ seruabatur, videlicet, ut quocumque pergerent pompaticæ, inuadentes horrea pauperum euacuarent, & si inter absentes aliquid negotioli quandoque contingeret, impii satellites discurrentes, raptos quoscumque caballos vel eneruarent in cursu, vel omnino destruerent, de ecclesiasticorum & sæcularium virorum consilio emendasti. Vnde quoniam constitutionem tuam iustam pariter & honestam auctoritate nostra postulas confirmari, nos iustis postulationibus annuentes, constitutionem præscriptam, sicut in scripto authentico super hoc factò habetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, sub interminatione anathematis prohibentes,

ne quis eam violare aliqua ratione præsumat. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, se noverit incursum. Datum Tusculani v. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA LIX.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES PRINCIPES.

Hortatur eos ad subsidium terræ sanctæ.

*Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris ducibus & principibus, comitibus, baronibus, & uniuersis Dei fidelibus, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**OR nostrum & omnium fratrum nostrorum sinistri crumores, qui de Hierosolymitanis partibus ad nos communi transeuntium relatione peruenerunt, nimio dolore conturbant, cum vix vnquam aliquis, qui Christiano nomine censeatur, sine lacrymis & suspiriis audire valeat, quæ de statu illius terræ miserabili recitantur. Est siquidem infidelium (quod dolentes dicimus) incursione contrita, & vsque adeo fortium virorum potentia, & proborum virorum consilio viduata, quod nisi a Christianis regibus & principibus orbis celerem & potentem succursum habuerit, desolationem eius (quod absit) in ignominiam Dei, & in contemptum fidei Christianæ de proximo formidamus. Non est enim rex, qui terram illam regere possit, cum ille, videlicet Balduinus, qui regni gubernacula possidet, ita sit grauiter (sicut nosse vos credimus) iusto Dei iudicio flagellatus, vt vix ad tolerandos sufficiat continuos sui corporis cruciatus. Quam grauem siquidem iacturam, & quam miserabilem casum in personis, & rebus illa terra (pro qua patres & genitores nostri sanguinem proprium effuderunt in conflictu, quem olim cum gentibus habuit) peccatis exigentibus sit perpessa, nec nos sine multa cordis commotione recolimus, nec aliqui zelantes legem Domini possunt tantam stragem fidelium patienti

*Concil. Tom. 27.*

Rr ij

animo tolerare; præsertim cum illa gens pessima paganorum ex incommodis & periculis, quæ genti Christianorum intulerunt, tantam audaciam sumpsisse dicantur, ut se iactent impudenter terram illam (quod auertat Dominus) inuasuros.

Moueatur itaque vos zelus Domini, nec religio Christiana super tanta, quæ illi terræ imminet, contritione dormitet: sed vniuersa loca illa, quæ Saluator & Redemptor noster corporali præsentia dedicauit, viriliter tueamini: & contemnite gentes quæ abiiciunt Dominum, & Christianum nomen de terris abolere nituntur. Non est utique Christianus, qui præscriptæ terræ calamitatibus non mouetur, nec accingitur ad ipsam ab infidelium incursum defendendam, quam occupare laborant, & suis (quod absit) spurcitiis profanare. Hi autem, qui ex vobis fortes sunt, & bellis exercendis idonei, non minus scuto fidei, & lorica iustitiæ, quam materialibus armis induti, tam pium, quam necessarium opus ac laborem huius peregrinationis assument, & loca illa, in quibus Redemptor humani generis pro nobis nasci voluit, & mortem subiit temporalem, potenti virtute defendant, ne temporibus nostris sustineat in illis partibus Christianitatis detrimentum. Cum enim Christus pro salute nostra opprobria multa, & demum Crucis patibulum sustinuerit, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, \* iustificatos autem spiritu, expedit admodum salutem fidelium, ut pro ipso corpora nostra periculis & laboribus exponamus, ne precium sanguinis, quem pro nobis effudit, videamur oblitum. Animaduertite igitur, dilecti in Christo filii, & videte quam probrosum, & quam mœrore dignum existeret Christianis, si aduersus habitatores terræ illius inimici Crucis Christi denuo præualerent, sicut eos præualituros non modicum formidamus, nisi de diuersis partibus Christianorum auxilium habitatoribus ipsis cum festinatione succurrat.

Ne igitur Christianitas gentilitati succumbat, totis viribus præuidete: quia melius est superuenturo malo ante tempus occurrere, quam remedium post causam querere vulneratam. Illis autem, qui pro Christo huius viæ laborem assumpserint, illam indulgentiam peccatorum,

quam patres & prædecessores nostri Vrbanus & Eugeni-  
nius Romani pontifices statuerunt, apostolica auctorita-  
te concedimus, & confirmamus. Vxores quoque, & filios  
eorum, & bona, & possessiones suas, sub beati Petri & no-  
stra, nec non & archiepiscoporum, & episcoporum, & a-  
liorum prælatorum ecclesiæ, decernimus protectione ma-  
nere: prohibentes attentius, ne aduersus eos de his, quæ  
pacifice possident, aliqua post susceptam Crucem quæstio  
moueat, donec redeant, vel de ipsorum obitu certissi-  
me cognoscatur. Liceat autem eis terras, seu possessiones  
alias, postquam propinqui, aut etiam domini sui, (ad quo-  
rum feudum pertinent) pecuniam ipsis mutuare, aut no-  
luerint, aut non potuerint, ecclesiis, vel ecclesiasticis vi-  
ris, aut aliis fidelibus libere, & sine vlla reclamatione pro  
expensis huius itineris titulo pignoris obligare. Præterea,  
quicumque de viris bellicosus, & ad illius terræ defen-  
sionem idoneis, illa sancta loca feruore deuotionis adierint,  
& ibi duobus annis contra Saracenos pro Christiani no-  
minis defensione pugnaverint, de Iesu Christi pietate, &  
de beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate, con-  
fisi, eis omnium suorum, de quibus corde contrito & hu-  
miliato confessionem susceperint, absolutionem facimus  
delictorum; nisi forte aliena bona rapuerint, vel vfuras  
extorserint, aut commiserint furta, quæ omnia debent in  
integrum emendari. Si vero non est in facultatibus delin-  
quentium vnde valeant emendari, nihilo minus conse-  
quentur veniam, prout diximus, de commissis. Hi autem,  
qui illic per annum, sicut diximus, moram habuerint, de  
medietate sibi iniunctæ pœnitentiæ indulgentiam & re-  
missionem suorum obtineant peccatorum. Omnibus au-  
tem sepulcrum Domini pro instanti necessitate visitare  
volentibus, siue in itinere moriantur, siue ad istum locum  
perueniant, laborem itineris ad pœnitentiam, & obedi-  
entiam, & remissionem omnium peccatorum iniungimus,  
vt de vitæ præsentis ergastulo ad illam beatitudinem, Do-  
mino largiente, perueniant, quam nec oculus vidit, nec  
auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam repro-  
misit Dominus diligentibus se. Datum Tusculani decimo-  
septimo Kalendas Februarii.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**VM orientalis terra per impressiones infidelium & incursus fortium virorum potentia sit & proborum virorum consilio destituta, multo timore percutitur; & ad implorandam subuentionem fidelium dilectos filios nostros, milites Templi, latores præsentium, viros utique religiosos, & Deum timentes, archiepiscopi, episcopi, & alii principes terræ ad partes vestras mittere decreuerunt. Nos autem quos illius terræ calamitas graui dolore conturbat, exemplo patrum & prædecessorum nostrorum de ipsius conseruatione solliciti, Christianos reges, & principes orbis ad defensionem locorum illorum, in quibus steterunt pedes Domini, salubribus monitis exhortamur: & sicut patres & prædecessores nostri Urbanus & Eugenius pontifices Romani statuerunt, ita & nos remissionem & indulgentiam peccatorum statuimus vniuersis, qui pro Christo laborem Hierosolymitanum assumpserint, & contra Saracenos fidei curauerint deuotione certare. Monemus itaque vniuersitatem vestram attentius, & mandamus, quatenus fratres, qui ad hoc missi sunt, benigno recipiatis affectu, & per eos orientalis terræ statu & necessitate comperta, principes, comites, & alios fideles Christi parochianos vestros crebris & sollicitis exhortationibus laboretis inducere, vt terram illam, pro cuius liberatione patres & genitores eorum sanguinem proprium effuderunt, adeant festinanter, & contra inimicos Crucis Christi potentia & virtute decertent. Literas autem, quas propter hoc generaliter mittimus, vniuersis faciatis ecclesiis publice legi, & exponatis earum tenorem, & remissionem peccatorum, quam facimus illis qui tam pium &

necessarium opus assumpserint, nuntietis, & ita omnes ad exequendum quod suggerimus moneatis, quo per sollicitudinem & exhortationem vestram terra illa festinanter fidelium sentiat auxilium & iuuamen; & vos propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem possitis consequi sempiternam. Datum Tusculani decimosexto Ianuarii.

## EPISTOLA LXI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD RICHARDVM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM, ET AD SVFFRAGANEOS  
EIVS REDDITA.

De pace inter se & Fridericum imperatorem inita.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
Richardo Cantuariensi archiepiscopo & suffraganeis eius,  
& dilectis filiis abbatibus specialiter ad Romanam eccle-  
siam pertinentibus in archiepiscopatu Cantuariensi constitu-  
tis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**MMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris seuientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante festum beati Iacobi, cum principibus ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici regni, cum multa deuotione venit Venetiam ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in festo beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solenniis, obuiam venit: & finita Missa, quam a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. In Kalendis vero instantis mensis Augusti præfatus imperator vbi erat numerosa

hominum multitudo, in anima sua iurare fecit, & principes sui, quos presentes habebat, tam ecclesiastici quam seculares, præstito iuramento firmaverunt, quod pacem ecclesiæ perpetuo, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvilielmi illustris Siciliae regis vsque ad quindecim annos & treugam Longobardorum a prædictis Kalendis Augusti vsque ad sex annos, sicut pax & treuga ipsa disposita est, & tractata, & in scriptis redacta, illæsam debeat & illibatam seruare. Sicut autem idem imperator nos in catholicum papam & spiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem, & vxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipsorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori nostro, qui sponsam suam sacrosanctam ecclesiam sua miseratione respexit, & ei post multas persecutiones, quibus grauiter pressa est, & attrita, per suam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riualto octauo Idus Augusti.

EPISTOLA LXII.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPVM,  
ET HVGONEM DVNELMENSEM EPISCOPVM.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Rogero Eboracensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & Hugoni Dunelmensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**XIGVNT gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & ecclesiæ tam deuote quam laudabiliter exhibuisse noscimini, vt felices successus ecclesiæ vobis, sicut specialibus & deuotis ecclesiæ filiis spiritualibus, describamus; cum dignum sit, & conueniens, & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra & ipsius ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de superis, de cuius munere venit, vt sponsa sua sacrosancta ecclesia diu & grauiter procellosis fluctibus & validissima  
tempe-



tempestate quassata nunc tandem portum salutis attingerit, & pacatis fauientibus procellis debita & desiderata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti, de mandato carissimi in Christo filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris, filius marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, præsentibus principibus ecclesiasticis & etiam sæcularibus Teutonici regni, publice in anima eius in præsentia nostra coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt, tactis sacrosanctis euangeliis, iuramentum; quod postquam idem imperator veniret Venetias, omni quæstione & contradictione sopita, pacem ecclesiæ sicut per fratres nostros & principes suos disposita est & tractata, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvilielmi illustris Siciliae regis, vsque ad quindecim annos, & treugam Longobardorum vsque ad sex annos in anima sua, & etiam a principibus suis faceret, sicut in scripto pacis & treugæ continetur, iuramento firmari, & principes Teutonici regni, scilicet venerabiles fratres nostri Magdeburgensis, Colonienfis, & Christianus dictus Moguntinus, archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se iurare fecerunt. Nono vero Kalendas Augusti præfatus imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, quæ per vnum milliare distat a Venetiis; & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni, abrenuntiantes schismati, per fratres nostros episcopos & cardinales de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam beati Marci prædictus imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præsentem, alta voce reddente gratias & laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici obedientiam & reuerentiam humiliter & reuenter exhibuit: & recepto a nobis pacis osculo nos deuote dextrauit, & cum reuerentia, qua decuit, & deuotione vsque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequentem vero die in festo beati Iacobi ab eodem imperatore rogati ad prædictam ecclesiam sancti Marci solennia celebraturi Missarum accessimus, & nobis illuc venientibus præfatus imperator extra ecclesiam obuiam venit, & dextro latere no-

322 ALEXANDRI PAPÆ III. EPISTOLÆ.  
stro deuote suscepto, nos in ecclesiam introduxit, & per-  
actis Missarum solenniis nos vsque ad ipsius ecclesie por-  
tam dextrauit, & cum ascenderemus palefridum nostrum  
ibi paratum, stapham tenuit, & omnem honorem & reue-  
rentiam nobis exhibuit, quam prædecessores eius nostris  
confueuerunt antecessoribus exhibere. Erit itaque solici-  
tudinis vestre nobis & ecclesie in prosperis successibus  
congaudere, & effectum pacis aliis deuotis ecclesie filijs  
aperire: vt hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis  
munere diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent.  
Data Venetie in Riualto septimo Kalendas Augusti.

EPISTOLA LXIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM VVIGORNIENSEM EPISCOPVM.

Pro electo ecclesie sancti Augustini Cantuariensis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Roge-  
ro Vvigornienfi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**VM venerabili fratri nostro Richardo Cantuariensar-  
chiepiscopo, apostolicæ sedis legato, olim dederimus  
in mandatis, vt dilecto filio nostro electo sancti Augustini  
in monasterio suo, quod adiurisdictione Romanæ ecclesie  
nullo mediante pertinet, munus benedictionis non differ-  
ret aliquatenus impertiri, ex eo quod archiepiscopus hoc  
exequi recusauit, de iure potuissimus eidem electo bene-  
dictionem ipsam per nos, vel etiam per alium, qui nobis  
non ita de facili contradiceret, exhibere. Volentes autem  
in eo adhuc obedientie virtutem plenius experiri, post  
longam disceptationem, quam idem archiepiscopus in  
presentia nostra per nuntios suos contra ipsum electum  
super controuersia benedictionis habuit, quæ de commu-  
ni fratrum nostrorum consilio per definitiuam sententiam  
ita decisa est; quod Cantuariensis archiepiscopus ipsum &  
successores suos in monasterio sancti Augustini absque  
exactione, obedientie contradictione postposita, benedi-  
cat, ex consueta & abundanti sedis apostolicæ benigni-  
tate eundem electum pro munere benedictionis ad me-  
moratum archiepiscopum duximus remittendum. Atten-  
dentes igitur labores & expensas quas idem monasterium

super hoc iam longo tempore sustinuit, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus si memoratus archiepiscopus infra terminum nostris literis constitutum eundem electum, sicut a nobis definitum est, benedicere distulerit, tu nostra fretus auctoritate, omni excusatione, contradictione, & appellatione cessante, quam citius super hoc fueris requisitus, id efficere non moreris; nullo decreto nostro, vel alterius, quo præceptum sit appellationi deferendum, impediente; nullis etiam literis obstantibus a nobis impetratis vel impetrandis; nulla exceptione, quo minus vel tardius mandatum nostrum adimpleas, resistente. Data Laterani xv. Kalendas Maii.

ANNO  
CHRISTI  
1160.

**CONCILIABVLVM PAPIENSE**  
A FRIDERICO IMPERATORE,  
adeoque illegitima auctoritate, indictum, meritoque ab Alexandro declinatum & reprobatur, quo Victori III. antipapæ schismatico contra Alexandrum III. legitime & canonicè electum pontificatus Romanæ ecclesiæ adiudicatur, anno Domini MCLX. initio pontificatus Alexandri papæ.

N O T Æ.

\* *Conciliabulum.*] A quo quæue auctoritate hoc Conciliabulum fuerit congregatum, Radeuicus de gestis Friderici imperatoris libro 4. capite 68. his verbis describit: *Tempus erat quo Concilium Papiæ indictum celebrandum fuerat, idque de vniuersis regni partibus, videlicet cisalpinis & transalpinis, in vnum collecti archiepiscopi, & episcopi, aliique ecclesiarum prelati pendula expectatione operiebantur. Tum Augustus, commonens omnes ieiuniorum & orationum subsidiis ecclesiæ catholicæ causam Deo commendare, cum sacerdotibus & omni populo auxilium diuinum fida sanctorum intercessione poscebat. Deinde conuocato in vnum Concilio, cum resedisset, ait ad episcopos: Quamuis nouerim officio ac dignitate imperii penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis ecclesiæ periculis; (hoc enim & Constantinus, & Theodosius, nec non Iustinianus, seu recentioris memoria Carolus magnus, & Otto imperatores fecisse memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi & summi negotii vestra prudentia vestraque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt non est nostrum de vobis iudicare, tales vos &*  
Concil. Tom. 27. Sf ij